






1
6
401














REVERENDI IN CHRISTO PATRIS

VALERIANI MAGNI,

FRATRIS CAPVCCINI

PRINCIPIORVM PHILOSOPHIAE.

EDITIO II.

Axiomata. *ENS non factum.* *Lucem mentium.* *Vacuum.*	Conti-nens.		*Vitrum mirabiliter fractum.* *Incorruptibilitatem aquæ.* *Atheiſmum Ariſtotelis.* *Soliloquia animæ cum Deo.*

In gratiam purioris Philoſophiæ ſtudioſis
& amantibus ſeparatim, denuò emiſſa.





COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IODOCUM KALCOVIUM,

M. DC. LXI.

REVERENDISSIMO

ET EMINENTISSIMO PRINCIPI AC D.

D. IOANNI PHILIPPO ARCHIEP. MOGUNTINO,

Sacri Romani Imperii per Germaniam Archi-Cancellario, Principi Electori.

Nec non

EPISC. HERBIPOLENSI ET DUCI FRANCONIÆ Domino suo clementissimo.

S. D.

Valerianus Magnus F. Capuccinus.



INterest totius generis humani, Princeps Eminentissime, tradere Philosophiam, meliorem Aristotelica: Hæc enim, cum doceat Deum esse causam finalem totius mundi, citra ullam efficientiam, mundum vero esse increatum, necessario ignorat Deum & mundum: Neque enim id, quod caret efficientia, est Deus, neque sciri potest mundus, ignorata ejus causa: reliqua verò ex eadem Philosophia, quæ supponunt hos errores, non possunt non esse falsa.

Sanè Ego impendo meam ætatem in id operis, cujus ante aliquot annos edidi apparatum potius, quam aliquid ejus. Nunc verò delabor ad eos tractatus, qui sint omnium difficillimi, & fundamentales; quapropter decrevi edere illos, non tamen propagaturus nunc Philosophiam meam, sed expositurus hæc principia & specimina censuræ doctiorum, quos humilimè & obnixè rogo, velint suo calculo addere auctoritatem veritati, & correctionem erroribus, qui ex mea imbecillitate irrepserint.

Equidem novi plurimos, qui incenduntur studio rerum novarum, alios verò tenacissimos antiquitatum, qui tamen nova quæque rescire volunt, improbaturi illa. Ego verò, qui desidero, ac postulo correctionem, amo illud censorium supercilium, modo libido improbandi nova urgeat lectionem accuratam: imò quatenus acuam studia plurimorum, promitto, fortassis non satis prudens, scientiam, à seculo quidem vix auditam, optimam tamen; scilicet: Omnis homo naturaliter intellecturus quodcunque ens, defigit aciem mentis immediatè in ipsum Deum, unde sibi derivet speciales rationes intelligendi, sed nos transilimus Deum, eatenus consultum, velut sit ens abstractum, formatumque, à mente humana, intellectura ens concretum.

Mea verò Philosophia docet sistere obtutum mentis in Deum, eatenus consultum, sed præmitto modum hujus intellectionis, ne in ipso vestibulo hujus tractatus nonnulli impingant: Distinguo cognitionem, quam quisque sui habere potest. Vnam statuo corporalem, per inspectionem ocularem: Alteram dico spiritualem, per reflexionem supra proprios motus vitales. Homo cognitus à se oculariter, tantum differt à se, cognito reflexivè, quantum

rum differt corpus humanum, ab anima vivificante corpus.

Ajo, Deum posse intelligi sic immediatè, & præsentissimè, ut quisque reflexivè cognorit se immediatè, & præsentissimè.

Ecquidem reflexivè me cognosco viventem, qui tangar, gustet, olfaciat, audiat, videat, imaginetur, amet, vel oderit, sensibilia, eadem intelligat, velitque intellectivè, quive corpus meum sistat, erigat, sternat, mutetque de situ & loco, ad placitum.

Experior autem me, v. gr. videntem Solem, certiùs nosse me videntem, quam noverim Solem visum.

Hoc modo (si non evidentius) immediatè citra ratiocinationem, intelligo vivens æternum, ejusque intellectiones, volitiones, creationes & providentias æternas, ac incommutabiles, unde derivo mihi omne vivere intellectivum.

His porrò vitalibus notitiis inspicio meam naturam intellectualem, ut creatur, movetur, conservaturque à creante, in quo cerno me vivere, moveri, & esse. Inde verò conjicio, ut reliqua creentur, moveantur, & conserventur.

Quos verò animi fluctus, Deus, eatenus cognitus, excitet, noverunt Deus ipse, & animæ illæ, quæ inde vivunt: cujus vitæ exhibeo hoc ipso tractatu specimen exile.

Hæc animosè dixerim, promiserimque, ut erigam animos legentium ad eam spem, quæ eos impellat ad accuratam, horum considerationem.

Tu verò Princeps Eminentissime addidisti animum pertimescenti assultus recentes, ferociores exantlatis, quos vel antevertes, vel retundes, si fueris sollicitus rescire,

 quid

quid doctiores ſentiant hac nova ratione philoſophandi. Has enim margaritas non mitto ante quoſlibet, ſed ante eos, qui norunt cenſere de valore earum.

Te verò exopto Patronum meæ Philoſopdiæ, quandoquidem neminem omnium notavi, qui magis excandeſcat ad radium illius lucis, quam intelligo eſſe creatricem viſibilium omnium, & inviſibilium, à qua precor Tuæ, Eminentæ. Celſ. vitam & gaudium plenum. Dabam Herbipoli 2. Aprilis 1652.

CENSVRA.

TRes hi *Tractatus*, *nimirum* de Axiomatibus, de Ente non facto, & Luce mentium *Authore* R. P. VALERIANO MAGNO, *Capuccino, singulare eius studium, & excellentis ingenii acumen ostendunt; è quibus, cùm Philomusi fructum insignem, & intellectualem voluptatem possint haurire, nihilque Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus contrarium in eis occurrat, eosdem typis, & luce publica dignos iudico. Coloniæ Agrippinæ die 10. Aprilis 1652.*

HENR. FRANCKEN Sierstorpffius S. Th. D. Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniens. Canonicus Presbyter Librorum Censor Ordinarius.

APPROBATIO.

A*Vctoritate & facultate mihi commissa ab Adm. Rev.* P. FORTUNATO à CADORO, *totius Ordinis Fratrum Minorum, S. Francisci Capuccinorum Ministro Generali*, Ego F. BENEDICTUS LEODIUS, *eiusdem Ordinis per Tractum Rheni Minister Provincialis licet indignus, tres Tractatus Philosophicos, videlicet* 1. *Intitulatum* Axiomata ad universam Philosophiam. 2. De Ente non facto. 3. De Luce mensium: *Auct. Adm.* R. P. VALER. M. *Mediolan.*

dicti

dicti Ordinis nostri per Regnum Bohemiæ & Archi-Ducatum Austriæ Ministro ex Provinciali, Missionario Apostolico, &c. *compositos, & à viris gravibus atque apprimè doctis nostræ Religionis visos, accuratè perlectos & approbatos utpote prælo dignissimos, censeo typis mandari posse: In quorum fidem propria manu præsentibus suscripsi, & Officii nostri sigillum apposui. Datum Moguntiæ 6. Martii. 1652.*

F. BENEDICTVS LEODIUS
Fratrum Capucc. Minister Provincialis, indignus qui suprà.

APPROBATIO.

T*Ractatus Philosophici Adm. Rever. Patris* F. VALERIANI MAGNI, *Mediolanens. Fratrum Minorum Capuccinorum olim Ministri Provincialis per Regnum Bohemiæ & Archi-Ducatum. Austriæ Apostoli Missionarii; Quibus proponit* Axiomata Philophica; Ens non factum, Lucem mentium: Admirando de vacuo: De vitro mirabiliter fracto; De incorruptibilitate aquæ, de Atheismo Aristotelis, & pro Coronide Soliloquia animæ cum Deo, *Subministrans Peripateticis quæ discutiant, Theologis Scholasticis, quæ acumine mentis diiudicent, Misticis qua Scala contemplationis summum bonum attingant; cum nihil Romano-Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium contineant, sed ostium ad abscondita naturæ rimanda aperiant, dignos iudico ut in publicum evulgentur. Dabam Coloniæ Agrippinæ 16. Calendas Maii, Anno Domini 1652.*

F. BENIGNUS Elbingensis
Capuccinus Concionator.

AXIO-

I.

AXIOMATA
Ad vniuersam Philosophiam,

CAPVT I.

De Ordine & stylo Doctrinæ.

NOsti, Theophile, nullum entium affirmari de alio ente, sed singula negari de singulis: quæ verò affirmantur de entibus non sunt entia, sed habitudines, quæ intercedunt entia: Ego enim illa duntaxat nuncupaui entia, quæ per aliquam potentiam possunt esse, & intelligi, seorsum ab omni alio ente.

Harum habitudinum, ut docui, aliæ sunt identitatis essentiæ, ut, Petrus est Petrus. Aliæ identitatis rationis, ut Petrus est Paulo idem in ratione naturæ humanæ. Demum aliæ sunt esse aut principium, aut terminum alicuius motus, vt Petrus generat, Paulus generatur. Ex quibus duntaxat potest demonstrari & existentia, & natura entium.

Verùm non sunt negligendæ reliquæ: Illæ, enim, quæ referunt identitatem essentiæ, siue affirmatam, siue negatam, inuoluunt frequenter motum nostræ rationis à cognitione imperfecta, ad perfectionem: v.g. huius propositionis, Homo est animal rationale: prædicatum, licet sit identicum subiecto, ipsum tamen explicat distinctius.

Quæ autem consistunt in identitate rationis, siue affirmata, siue negata, coordinant cognoscimentum, & prædicamenta, & in omni dictione, iudicio, ac ratiocinatione prætendunt terminos, qui ab identitate rationis, communi pluribus entibus, denominantur vniuersales.

Et licet eiusmodi identitates rationis non inferantur syllogismo, sed cognoscantur sola collatione, seu comparatione terminorum, cognitorum aut immediatè, aut mediante illatione: tamen hæ habitudines tum subeunt illationem, cum ex identitate rationis affirmata, aut negata de duobus principijs alicuius motus, infertur proportionalis identitas rationis, inter terminos illorum motuum, v.g. Quæ est ratio entitatis inter Petrum, & Paulum, ea est inter filios Petri, & Pauli.

Quoniam verò in primo libro de per se notis, per dictionem connexam ordinaui in cognoscimento, & prædicamentis entia per se nota: coordinationem graduum entitatis, nomino cognoscimentum, &

per iudicium connexum exhibui in classes distinctas omnes entium per se notorum præcipuos motus per se notos, quorum illos, quos quisque conscit in se, ennarraui satis accuratè, in libro de mei conscientia: superest, ad complementum apparatus Philòsophici, exhibere illas propositiones, quarum veritas non dependeat ab entium existentia, sed à ratione æterna, & incommutabili, cuiusmodi debent esse illæ, quæ in syllogismo denominantur maiores: Minores enim per se notæ propositiones, exaratæ in tractatu de per se notis, habent veritatem, pendulam ab existentia Entium; v. g. Luna mouetur, quæ, si corrumpatur, inducit Falsitatem illius propositionis, At verò hæc: Id, quod mouetur, necessariò mouetur ab alio: est vera, tametsi corrumpantur omnia mouentia & mobilia.

Harum verò propositionum incommutabilium sunt innumeræ; neque est vlla differentia motus, quæ non sibi vendicet proprias veritates incommutabiles: puta has. Id, quod Loco-mouetur, necessariò Locomouetur ab alio: Id, quod alteratur, necessariò alteratur ab alio; Id, quod generatur, necessariò generatur ab alio. Verùm hæ omnes deriuant sibi incommutabilitatem ab hac: Id quod mouetur, necessariò mouetur ab alio, oportet ergò congerere in vnum tractatum illas immutabilium, quas nulla specialis pars Philosophiæ pertractat, quatenus, vbi v. g. ventum sit ad tractatum de generatione. Hæc, Id, quod generatur, necessariò generatur ab alio: demonstratur per hanc: Id, quod mouetur, necessariò mouetur ab alio; quæ supponatur demonstrata in ipso vestibulo Philosophiæ, ita vt non sit opus in vllo ratiocineo repetere demonstrationem factam.

Hic ergò tractatus complectitur has propositiones æternas, & incommutabiles, in quas necessariò resoluantur omnes illationes, quas habebit, & habere potest vniuersa philosophia: has nuncupaui Axiomata, & licuisset denominare Maximas, velut, quæ influant vim illatiuam propositionibus maioribus.

Exordior autem tractatum ab habitudinibus identitatis essentiæ, deinde prosequar illas, quæ sunt, esse principium & terminum motus, eas verò, quæ sunt ex identitate rationis, postremo loco commemorabo, nimirùm illas, quæ afficiunt motum: motum, inquam, realem, ex quo duntaxat argumentor entium existentias & naturas.

Sed veritus, ne meus stylus tibi vsquequaquè probetur, volo prius excusare illa, quæ fortassis existimabis nō satis congrua fini, quē intēdo.

Obijcitur primo loco obscuritas, quæ superet vulgarem conditionem

nem philosophantium: Respondeo, quòd obscuratas obuenit vel ab obiecto, vel à stylo scribentis. Meum stylum audacter dico tam clarum quàm qui esse possit: ratio enim scribendi cum claritate, est mihi & cõpertissima, & familiaris: cæterum gratulor philosophiæ obscuritatem ab obiecto, quæ arceat plerosque ab hoc studio, qui Reipublicæ vtilius operã, & ætatẽ impendent in agro, in mechanicis, in bello & similibus.

Laudatur passim traditio doctrinæ per quæstiones, quæ mouentur de subiecto alicuius scientiæ, placetque numerata partitio earum. Hanc methodum resolutiuam Ego non adhibeo, sed compositiuam: Hæc enim exorditur à notissimis, &, prætendens lucem eatenus partam, reuelat semper obscuriora: qui verò mouet quæstionem, obijcit tenebras, quas submoueat, soluendo quæstionem propositam.

Illi, qui per quæstiones tradunt scientiam, ducunt argumenta ex omnibus locis dialecticis: Ego prosequor lineam motus, vnde duntaxat infero entium existentias, & naturas, ijs argumentis, quæ sola possunt esse demonstratiua, quæuè, adnumerata Dialecticis, dignitatem propriam pessundant. Memineris verò, Theophile, argumentum, quod mihi est demonstratiuum, alicui fortassis vix erit probabile: sunt enim plerique, quibus opus sit pharmaco magis, quàm syllogismo.

Quoniam verò motus sunt subordinati, demonstrationes antecedentes nanciscuntur, maiorem certitudinem, & euidentiam à subsequentibus: scilicet, existentia, & natura primi mouentis confirmatur à secundis, alijsque subsequentibus.

Hæc conditio ratiocinantis ex motu, est opposita illi, quæ ducitur ex natura Quanti discreti, & continui; nam in Mathematicis vix aliqua demonstrationum antecedentium pendet à subsequentibus.

Tibi verò, legenti meos tractatus, occurent frequenter nonnulla à me neglecta, quæ tuo iudicio debuissent dici; sed scito me horrere confusionem, vel minimam, materiarum, quas suis locis destinaui tractandas: Ideò, Licet sciam multum lucis accessurum rei, quam expono, si eo loci cognoscatur aliquid, alio loco reseruatum, tamen id sepono, & præstolor loco congruo doctrinam, quæ nõ debet anticipari.

Nil porrò molestius obueniet tibi in mea Philosophia, quàm quòd sepono obiectiones manifestas, ductas ab existentia rerũ contra conclusionns illatas à rationibus æternis, v.g. infero mouentem non posse quiescere in termino trãseunte, qui sit sibi Æqualis in entitate. Cui cõclusioni videtur aduersari experiẽtia omniũ generãtiũ sibi simile in natura;

tura; sed si perpendas solutiones eiusmodi obiectionum, facilè intelliges eas; si anteuertantur, necessariò susdeque conuersuras vniuersam Philosophiam, sine quæsita euidentia. Porrò si vim argumenti conclusionis illatæ assequaris, facilè intelliges rerum existentias, & naturas dependere à ratione æterna, assumpta in syllogismo, & suppones latere aliquid in entibus concretis, vnde captas occasionem erroris.

Consultò abstineo à quamplurimis, quæ alioquin magna contentione controuertuntur inter Philosophos, si tamen hæc negligentia non detrahat scientiæ, quam prætendo: Commemoro ad exemplum differentiam inter distinctiones formalem, rationis ratiocinatæ, & modalem. Eiusmodi enim contenriones, pluribus seculis agitatæ, non habent momentum ad veritatem quæsitam, quod poscat disputationem æternam.

Non infero ex conclusionibus primò illatis, reliquas omnes, quæ inferri possunt, sed illas duntaxat, quæ exponunt naturam entis, quod subijcitur ratiocinio: immò pleraque transilio, quæ ex demonstratis non obscurè prodeunt in lucem.

Demum noueris me non docere res per vocabula, sed res, consuetâ oratione declaratas, significo per vocabula vsitata, si suppetant, vel adhibeo alia ad placitum meum.

CAPVT II.

Axiomata ex identitate essentiali.

HIs autem præmissis aggredior habitudines identitatis essentiæ, sed debeo prius assignare rationem communem omnibus entibus, quatenus hæc doctrina sit vniuersalissima.

Nosti, Theophile, specierum, quas cognoscituri adhibemus, alias esse sensibiles, alias imaginabiles, alias intelligibiles. Sensibiles referunt aliquod sensibile, non solum quod actu existat, sed & quod sit præsentissimum sentienti: At verò imaginabiles, & intelligibiles referunt ad nutum imaginantis & intelligentis non solùm entia actu existentia, ac præsentia, sed absentia, præterita, futura, possibilia, ac demum abstracta ab his, velut innuant quamdam naturam communem, prout suo loco declaraui vberius.

Explicaturus ergò Rationem, communem omnibus entibus, eam assignare debeo, quæ affirmetur de entibus præsentibus, affirmabatur de præteritis, affirmabitur de futuris, affirmaretur de possibilibus, si

venirent

venirent ad actum, quæue affirmatur de his, quæ intelliguntur, abstrahendo ab intentione præteritorum, præsentium, futurorum, ac possibilium.

Dico igitur Ens esse id, quod exercet actum essendi, vt v. g. amans est id, quod exercet actum amandi: Cum cogito Theophilum, cogito id, quod exercet actum essendi Theophilum: Leo exercet actum essendi Leonem: & quodlibet entium exercet actum essendi seipsum, secundum præcisam entitatem vniuscuiusque, ita vt Ego, qui non sum Theophilus, non possim exercere actum essendi Theophilum: nec Leo potest exercere actum essendi hominem. Quapropter ratio, communis omnibus entibus, abstrahit ab omni speciali exercitio entitatis: ita vt nulla sit, aut possit intelligi communis omnibus entibus, quam quæ naturaliter concipitur ab omnibus, quæue habetur in ipso communi vocabulo. *Ens*: nimirum. id, quod actum essendi aut exercet, aut exercuit, aut exercebit, aut potest exercere, concipitur vt Ens, quod aut est, aut fuit, aut erit, aut esse potest. Seclusa (citra negationem) omni præcisâ ratione entitatis vllius.

Itaque id, quod non exercet actum essendi, non est Ens.

Præterita non sunt, sed fuerunt entia.

Futura non sunt, sed erunt entia.

Possibilia non sunt, sed possunt esse entia, & consequenter nil horum est ens.

Ens verò abstractum ab intentione præsentis, præteriti, futuri, & possibilis, denotat prædicata essentialia Entis, inter, quæ nil essentialius ipso exercitio essendi.

Porrò Enti opponitur Non Ens, quod est inintelligibile non cointellecto Ente: qui enim dormiens nil omnium cogitat, non ideò intelligit Non-Ens, quia nil entium intelligat. Qui autem, intellecto Ente, intelligit nil esse residui, si ens cesset ab actu essendi, is demùm intelligit, seu cogitat Non-Ens.

Quapropter dico, Rationem, communem omnibus entibus, esse Rationem Non-Entis, si, positiua intellectione, intelligatur sublata: scilicet Non Ens est ens cogitatum, vt cessauit ab actu essendi vel quatenus non venit ad actum existendi. Verùm Non-ens habet suas differentias, & quidem plures: has per ordinem narrabo, exorsus à minima Non entitate vsque ad maximam.

Lapis, expers caloris, non est calidus, at potest calere, & eatenus dicitur calidus in potentia. Esse ens in potentia est minimus gradus

Non-Entitatis: nam id, de quo negatur calor, est ens, tametsi Non-calor sit Non-Ens: non tamen lapidi est merum Non-Ens, quandoquidem lapis potest esse calidus.

Lapis non est visiuus colorati, nec potest esse visiuus: Non esse visiuum, nec posse esse visiuum, est Non Ens: at verò hæc negatio potentiæ visiuæ, est de lapide, qui est ens: ita vt, lapidem non esse visiuum, non sic merum Non-Ens.

Socrates certò certius generabit filium; qui filius est Non-homo: non tamen est sic Non-homo, vt sunt Non-homines illi, qui non erunt: sed est homo futurus: At verò sunt alia, quæ esse possunt, nec tamen erunt; quot sunt animantium, quot ex hominibus, qui possent generare filios, nec tamen generabunt? Hæc non sunt entia futura, sed denominantur possibilia, quæ magis recedunt ab entitate, quàm quæ sunt futura.

Entibus possibilibus proximè accedunt entia præterita: hæc enim sic non sunt, vt nequeant esse: nec tamen deficiunt ab omni entitate, quandoquidem fuerunt aliquando.

Denique illa quæ neque sunt, neque erunt; neque fuerunt, nec esse possunt, videntur esse mera Non entia: puta corpus rectilineum biangulare: id enim impossibile est esse, fuisse, aut fore.

Non-entium autem quædam intelliguntur opposita negatiuè alicui enti præciso, ac signato. Vnicum verò Non-Ens intelligitur oppositum negatiuè omnibus entibus absolutè consideratis. Si tibi oppono negatiuè Non-Ens, id Non entitatis, nuncupatur Non-Theophilus: Cuiusmodi sunt Non-Petrus, Non-hic Leo, & alia innumera. Non-Ens autem, oppositum omnibus entibus, absolutè consideratis, nuncupatur Nihil. Porrò intelligere aut considerare præfata Non-Entia est cautela à multiplicibus, grauissimisque erroribus, prouenientibus ex confusa subiectione, & prædicatione huiuscemodi Non-Entium: à quibus tibi cauebis haud difficulter, si notaueris accuratè, quæ subiungo.

Vix est aliqua differentia Non-entitatis, quam non soleamus aut subijcere, aut prædicare, velut sint termini reales: id expono per supra adducta exempla.

Lapis non est, sed potest esse calidus, Id nuncupatur Ens in potentia.

Lapis non est, nec potest esse visiuus, dicitur Ens impossibile secundum quid.

Anti-

Antichristus est futurus, dicitur Ens futurum.

Filius Petri non cognituri Mulierem, dicitur ens possibile.

Abraham fuit homo dicitur Ens præteritum; Corpus rectilineum biangulare dicitur Ens absolutè impossibile

Non-Theophilus dicitur Negatio vnius entis.

Nihil, dicitur, Negatio omnium entium.

Porrò nil horum potest esse, aut subiectum aut prædicatum reale, si excipias Ens in potentia, & ens impossibile secundum quid: lapis enim, qui affirmatur calidus in potentia, quiue absolutè negatur visiuus, est ens.

Ceterum nil entis est, quod subijcias reliquis Non-entibus, quod per singula exempla demonstro.

Antichristus est futurus.

Antichristus stat Loco subiecti, qui in eadem propositione supponitur Non-ens, cùm asseratur futurus. quocirca subiectum illius propositionis non est ens. Eadem est conditio huius.

Filius Petri, non cognituri mulierem, est possibilis.

Scilicet subiectum illius propositionis non est ens, sed potest esse ens, vt supponitur, hæc etiam:

Abraham fuit Homo:

Habet subiectum, quod supponitur non esse, sed fuisse Ens: demum ista:

Corpus rectilineum biangulare est impossibile, non subijcit ens, cùm in ipsa propositione asseratur non solùm Non-ens, sed & esse impossibile, quòd sit ens: Cauebis ergò tibi à multiplici errore, si supra dictum consuetum modum enuntiandi adhibeas conscius, ennumerata subiecta dictarum propositionum non esse entia.

His ergò eatenus explicatis, statuo primas propositiones vniuersalissimas formatas ex Ente & Non-ente, abstractas ab omni differentia entitatis.

Video te Theophilum, & tu accuratè inspectus enuntias v.g. de te ipso, quod sis coloratus, quòd sis certâ figurâ determinatus, quæ propositiones non sunt illatæ, & tamen dependent à te, vt à termino simpliciter dicto: qui accuratè inspectus de se enuntiat præfata, & alia eiusmodi. Verum hoc loco non considero habitudines, quæ intercedunt terminos realiter distinctos, sed eas duntaxat, quas nos comminiscimur inter ens, relatum ad semetipsum, & ad Non-ens; cùm enim primum, quod obiectiuè cadit in mentem nostram,

ſit Ens,ſi id ſimpliciter dictum,ſeu apprehenſum,referatur ad ſemetipſum , ſeſe pertinaciſſimè enuntiat, ac repetit Ens:vnde habemus hanc propoſitionem.

Ens eſt ens.

Quæ eſt prima Omnium per ſe notarum incommutabilium , non ſolùm quia non ſit illata. ſed etiam quia non ſit enuntiata , aut exarata ab alio termino ſimpliciore,à nobis accuratè inſpecto. Ex hac propoſitione habetur hæc:

Non-Ens eſt Non-ens.

Quæ eſt notiſſima,citra vllam illationem: ignorarem tamen illam, ſi neſcirem hanc Ens eſt ens.

Porrò quòd ens ſit ens, Æquipollere videtur huic.

Ens eſt ſe ipſum.

Hinc verò ſubinfero alias propoſitiones: Vnam ex eo, quod ens eſt ens: innumeras ex eo, quod ens ſit ſe ipſum: ſic ergò argumentor:

Hoc ens eſt ens.

Ens verò eſt impoſſibile,ſit Non-ens:

Ergò hoc ens non eſt Non ens.

Hoc Ens eſt ſe ipſum:

Id autem,quod eſt ſe ipſum,impoſſibile eſt ſit ullum aliorum entiũ

Ergò hoc ens non eſt vllum aliorum entium, ſcilicet: Hoc ens non eſt ens,nuncupatum A. neque ens nuncupatum B,neque vllum aliud, ex omnibus,quæ exiſtunt.

Quoniam verò enti,vniuerſaliſſimè conſiderato , licet ſubſumere quotquot ſunt entium exiſtentium , & exinde formare propoſitiones, & illationes,præfatis ànalogas,vno exemplo commonſtro, vt id fiat.

Theophilus eſt Theophilus.

Theophilus eſt ſe ipſum,

Hinc ſic argumentor

Theophilus eſt Theophilus.

Id,quod eſt Theophilus,impoſſibile eſt,ſit ſimul non Theophilus.

Ergo Theophilus non eſt ſimul Non-Theophilus.

Theophilus eſt ſe ipſum.

Id,quod eſt ſe ipſum;impoſſibile eſt,ſit vllum aliorum entium. Ergo Theophilus non eſt vllum aliorum entium.

Scilicet Theophilus non eſt Petrus:non hic Leo,non hic lapis, non vllum aliorum entium.

Quod dixi de Theophilo, id verificatur de quocunque alio ente, quo-

quomodo libet consideratio: v.g. ens actu est ens actu, est se ipsum:

Ens in potentia, est ens in potentia, est se ipsum.

Currens est currens, est se ipsum.

Quin immò ausim dicere

Non ens est non-ens, est se ipsum. Sic enim argumentor Non-Ens est non-ens At Non-ens est impossibile sit Ens

Ergò Non ens non est Ens.

Non-Theophilus est non-theophilus. At non Theophilus est impossibile, quod sit non-ens, aliud à non theophilo Ergò Non-Theophilus non est non-ens, aliud à non-Theophilo.

Neque existimes harum propositionum nullum esse vsum in Philosophia: tu ipse experieris frequentissimum, eximiumque solatium ex euidentissima incommutabilitate huiusmodi propositionum: sæpius enim infertur conclusio tam recondita, tantique momenti in Philosophia, vt trepidi exhibeamus nostrum assensum. ----- Verùm coniecti in eam necessitatem, quæ nos compellat, aut assentiri illatæ conclusioni, aut negare ens esse se ipsum, intrepidi assentimur illatæ conclusioni. Nulla enim est illatio, quæ vim illatiuam non sibi deriuet ab hac propositione.

Ens est ens.

Id vno syllogismo ostendo

Luna loco-mouetur

Id, quod loco mouetur, necessariò loco-mouetur ab alio:

Ergò luna Loco mouetur ab alio.

Quòd Loco-moueatur, cernis oculo corporali, quòd vero Ens loco-motum incommutabiliter moueatur ab alio. cernis oculo mentali. Itaque præbueris assensum duabus illis præmissis, & tamen trepides assentiri conclusioni, cogeris præbere assensum, si animaduertas, ex negata conclusione, & concessis præmissis necessariò sequi, Lunam simul moueri & non moueri. Quòd moueatur supponitur in minore: quòd loco-motum necessariò moueatur ab alio, conceditur in maiore. At impossibile est, lunam moueri Localiter, & non moueri locabiliter, si non sit possibile, Ens simul esse ens, & Non-ens: id verò est impossibile, cùm ens necessariò sit ens.

Hæc confirmatio cuiuscunque illationis dicitur à Philosophis probatio per impossibile.

Itaque ens quodcunque simpliciter dictum, sese exerit in propositionem hanc identicam.

Ens est Ens
Ens est se ipsum
Ex quibus citra illationem, habemus has.
Non-Ens est Non Ens
Non-Ens est se ipsum
Ex quibus qualitercunque ratiocinando habemus has,
Ens non est Non Ens
Non Ens non est ens

Habes ergò Theophile, ex ratione, communi omnibus entibus, vnam primam, vniuersalissimamque propositionem, incommutabilem, per se notam, ex qua ratiocinando intuli alias. At verò nullæ earum illationum sunt reales, quandoquidem habitudo, aut affirmata, aut negata, non est realis: Negata non est realis, quia non negatur habitudo vlla, sed ipsum Ens de alio ente: Habitudo autem non est ens. Affirmata non est realis: nam termini non sunt realitèr distincti: præfatæ enim habitudines affirmatæ, sunt habitudines identitatis, in quibus ens, vt subijcitur, non diuersificatur à se, vt prædicatur: Illæ enim propositiones, quas in Logica denominaui identicas, non sunt reales, immò nec sunt propositiones, sed dictiones. Vt enim is, qui dicit, secernit ens dictum à reliquis Entibus, sic qui statuit illud ipsum Ens esse se ipsum, & non esse vllum aliorum entium, concipit Ens eatenus cognitum, velut sit indiuisum in se, & diuisum ab alijs, id verò nosse de aliquo ente, est dicere ens illud. Non tamen inuoluo dictioni iudicium, sed aio, iudicium de illis propositionibus non esse reale; ecquidem scio eiusmodi affirmationes & negationes esse notitias intellectuales entium, cognitorum infra intellectionem, sed hanc distinctionem reseruo in alium locum.

CAPVT III.

Quid sit vnum & multa.

QVoniam verò Ens, cùm sit indiuisum in se, & secretum à quolibet alio ente, necessariò intelligitur vnum, tametsi entia simul accepta, sint multa, opportunè hoc loco considero vnitatem, & Multitudinem. Vnitas est duplex: vna est illa, quam tribuo singulis entibus, quæ est principium numeri: v-g. trium hominum singuli sunt vnus homo, simul verò sunt vna multitudo. Altera Vnitas est ratio communi pluri

pluribus entibus, quæ differt ab vnitate numerica in eo quòd vnus v. g. homo non est vnicus homo: at ratio hominis est vna, & vnica.

Multitudo verò opponitur vnitati numericæ, tametsi ab vnitate Rationis habeat vnitatem: Multitudo enim est vna, & plures. Illa plura, quæ conueniunt in vna ratione communi, sunt vna multitudo. Decem boues, licet sint plures, sunt tamen vna multitudo, propter vnitatem rationis, in qua conueniunt singula indiuidua multitudinis illius; quibus si addas totidem oues, hæ nequaquam spectant ad priorem multitudinem, eo quòd oues non communicent in ratione bouis: verùm quatenus communicant in ratione animalis, ex decem bouibus, totidemque ouibus integratur vna multitudo animalium.

Vt verò Enti vno nil potest addi, aut detrahi, salua Vnitate, sic videtur conditionem multitudinis esse oppositam conditioni vnitatis, nimirum, non consistit multitudo, si ei nequeas & addere, & ab ea detrahere.

Hinc quæstio de multitudine infinita, vtrum sit possibilis & intelligibilis, quæ quia passim irripit, dum peruestigamus occultam veritatem, eam hoc loco definire volo ex ratione entis assignata. Scito igitur, Theophile, inintelligibilitatem esse duplicem; Vna respicit imperfectionem intelligentis, puta quadraturam circuli, quam nos homines ignoramus, tametsi Angelus Fortassis eam intelligat. Altera est absoluta, puta triangulum rectilineum, habens tres angulos Maiores duobus rectis: Hæc enim figura est impossibilis, & consequenter est absolutè inintelligibilis.

Impossibilitas non infertur ex inintelligibilitate respectiua, sed ex inintelligibilitate absoluta. Est igitur quæstio, vtrum Multitudo infinita sit possibilis?

Sanè infinitudo Multitudinis. v. g. hominum, foret impossibilis, si non existat agens, qui habeat virtutem inexhauribilem generandi, vel quomodolibet alitèr efficiendi homines. At verò tametsi principium effectiuum hominum, quod sit Fæcunditatis inconsumptibilis existat, dubitatur adhuc, an multitudo infinita sit possibilis?

Sed non soluo quæstionem, nisi exponam prius multiplicem infinitudinem, quatenus notem illam, de qua quæritur, vtrum conueniat multitudini?

Communis ratio infinitudinis consistit in impossibilitate incrementi eius rei, quæ denominatur infinita: nimirum, quæstio est de hac, & non de alia infinitudine, quæ distinguitur penes ea, de quibus affirmatur.

Entia habentia entitatem, quæ consistit in indiuisibili, habent illam entitatem ingradu infinito. Angulus rectus est eiusmodi: si enim sit rectus, est infinitè rectus, eò quod sit impossibile, vt queat esse magis rectus: nam si possit esse magis rectus, non est rectus, sed obliquus.

Non secus Petrus est infinitè homo: siquidem essentia hominis consistit in entitate indiuisibili. Huic verò infinitudini, vt non potest quidquam addi, sic nec est possibile quippiam ab illa detrahi. si enim detrahat angulo recto minimum rectitudinis, eo ipso angulus non est rectus: Huic infinitudini opponitur hæc, Quædam Entia sunt vnum ex compositione multorum Entium eiusdem Rationis, cuius compositi entitas non consistit in aliqua forma indiuisibili, v. g. producatur linea recta quantumlibet, non tamen vnquam assequetur formam indiuisibilem, quam obtinebit. si producatur inflexa ad normam circuli, ita vt linea possit produci inflexa ad circulum, at non infinitè; sin verò producatur recta, ea productio, & linea producta nullum habent terminum, determinatum ab aliqua forma, ad quam illa recta promoueatur: quo titulo, Linea recta dicitur producibilis in infinitum: quæ infinitudo est opposita præfatæ infinitudini: nimirum, vt illi nil potest addi, aut ab illa detrahi, sic huic potest detrahi, & post omnem additionem potest adhuc addi, & consequentèr prior infinitudo supponit perfectionem, hæc verò imperfectionem, neque simpliciter imperfectionem, sed talem, quæ nulla additione posit fieri perfecta.

Hisce declaratis, aio, infinitudinem, de qua quæritur, an conueniat multitudini, non consistere in forma indiuisibili & præfecta in suo genere, sed in priuatione omnis formæ & perfectionis, tametsi multitudini, post omnem additionem, semper vnitates addantur. Vt verò terminus præcisus pertinet ad rationem lineæ circularis, sic nullitas termini est de ratione lineæ rectæ: & quemadmodùm linea dati circuli non potest intelligi aut longior, aut breuior, sic linea recta non potest intelligi non prolongabilis, aut non decurtabilis.

Hoc ipsum dicendum est de infinitudine multitudinis. Nam si de multitudine accipias numerum præcisum v. g. denarium; aio, denarium esse infinitè denarium, ità vt nil ei posit addi, aut detrahi, quin denarius cesset esse denarius: quandoquidem ratio cuiusuis numeri consistit in indiuisibili. Verùm si contemplere non numerum, sed multitudinem, aio, addibilitatem Vnitatum infinitam, pertinere ad eius rationem: infinitam, inquam, scilicet, nunquam complebilem: ita vt quemadmodum denarius non est aut possibilis, aut intelligibilis cum

additione aut detractione Vnitatis, sic multitudo est impossibilis & inintelligibilis sine addibilitate semper possibili. Illi verò, qui aiunt multitudinem, collectam ex vnitatibus, non addibilibus in infinitum, sed additis infinitis, esse possibilem, ignorant id, de quo loquuntur.

Quis est v. g. ille triangulus, qui constet ex quatuor angulis? Nullus, inquis, neque actualis, neque possibilis, neque intelligibilis. Non secus aio, multitudinem, collectam ex vnitatibus infinitis, nec dari actu nec esse possibilem, nec intelligibilem, aio, inquam, quòd possibilitas additionis sit tàm essentialis multitudini, quàm determinatio trium angulorum est essentialis triangulo. Quapropter non solùm multitudo infinita Entium actu existentium est impossibilis, sed & præteritorum & cogitatorum & cogitabilium.

Detur enim v. g. multitudo ouium, quam quis affirmet infinitam: quæ scilicet non possit esse maior: hanc affirmationem damno falsitatis hoc argumento.

Oues illæ sunt vna multitudo, cui potest addi alia ouis.

Id, quod est vna multitudo, cui potest addi alia ouis, impossibile est, esse infinitum:

Ergò oues illæ non sunt infinitæ.

Minor non potest negari, neque negatur: Illi enim, qui concedunt, extitisse à Mundi æternitate Oues infinitas, non negant generationem perpetuam aliarum ouium: ergò concedunt additionem, & negant sequi incrementum datæ multitudinis, ex concessa additione: sciunt enim, id duntaxat esse infinitum, quod non potest crescere, difficultas ergò consistit in cognitione distincta præfatæ additionis, quatenus intelligamus an subsistat sine incremento: hanc sic expono.

Plura Entia, tametsi sint plura, censentur vna pluralitas, aut vna multitudo ab vnitate Rationis, quæ sit communis singulis entibus de multitudine data. Oues plures sunt vna multitudo ab vnitate oueitatis: Capræ plures sunt vna Multitudo ab vnitate capreitatis.

Verùm si data Multitudo ouium numeretur, illa pluralitas seu Multitudo colligitur ad vnitatem, quæ tamen nulla est à parte rei, sed est formata à numerante: v. g. numero plures oues, & dico eas esse quatuor: deinde considero hanc multitudinē eatenus numeratam, & aio, illam esse vnum numerum, quem appello quaternionem, sanè oues sunt plures. sunt enim quatuor, at omnes simul non sunt quatuor quaterniones, sed vnus quaternio.

Si ouibus, vt sunt plures, addas ouem vnam, non corrumpitur plu-

ralitas,ſed augetur. Verùm ſi quaternioni addas vnitatem, is corrumpitur, & generatur quinternio.

Hæ porrò generationes & corruptiones numerorum, nil ſunt à parte rei, vt dictum eſt: at pluralitas, ſeu multitudo eſt realis, nemine cognoſcente pluralitatem: ita vt additio vnitatis ad pluralitatem, ſeu ad multitudinem entium realium, ſit realis, & inintelligibilis ſine incremento reali multitudinis realis. Quapropter cum à parte rei multitudo creſcat, ſi ea non creſcat in mente cogitantis, is falsò iudicat eam multitudinem non creuiſſe: formo illationem.

Oues, generatæ ab æternitate mundi, ſunt vna multitudo realis, cui additur alia ouis, quæ eſt ens reale.

Id, quod eſt vna multitudo realis, cui additur alia ouis, quæ eſt ens reale, neceſſariò creſcit vna Vnitate reali. Ergò Oues, generatæ ab æternitate mundi, creſcunt vna vnitate reali. Id autem, quod creſcit vnitate reali, eſt impoſſibile, ſit multitudo infinita. Ergò Oues, generatæ ab æternitate Mundi, non ſunt vna Multitudo infinita. Scilicet: ſi non ouis addatur multitudini ouium, illa multitudo non creſcit: ſin verò addatur ouis, nec tamen creſcat, erit non-ouis vt ouis, ſcilicet Non-ens, erit vt Ens. id vero eſt impoſſibile.

Si quis poſt hanc demonſtrationem etiamnum allucinetur, is, ex meo conſilio, ſeponat ſtudia Philoſophica.

Capvt IV.

Axiomata per ſe nota ex motu.

HÆc dicta ſufficiant de propoſitionibus incommutabilibus ex identitate eſſentiali.

Nunc expendo propoſitiones immutabiles ex motu: ſed prius definio, ac diſtinguo motum.

Motus eſt mutatio, cuius terminus procedit à principio mouente.

Motum & mutationem accipio, ob vocabulorum inopiam, in ſignificatione tàm lata, quæ comprehendat omnes differentias motus, mox diſtinguendas. Motuum per ſe notorum alius eſt tranſiens; alius immanens. Sectio tranſit à ſecante in lignum ſectile. Intellectio immanet intelligenti.

Motuum tranſeuntium alius eſt productio entis de non entitate ad entitatem; alius eſt mutatio Entis præexiſtentis. Sol videtur producere calorem, qui non præexiſtebat illi productioni. Ille motus, qui eſt mu-

tatio

tatio entis præexiſtentis, vel eſt compoſitio Totius ex partibus præexiſtentibus, vel actuatio mobilis præexiſtentis per formã illi inductam, vel per aliquid extrinſecum adiacens: Subdo exempla.

Ex multis partibus aquæ, componitur moles aquea. Calor, productus à ſole, calefacit lignum. Leò mouet ſuum corpus à loco ad locum. Nimirum, hæ differentiæ motuum ſunt nobis per ſe notæ, notitia tamen rudi, ſeu imperfecta.

Hæ, inquam, differentiæ motus ſunt conſpicuæ: motum verò tranſeuntem recolligo ad productionem entis non exiſtentis, & ad mutationem entis præexiſtentis, ſiue ea ſit compoſitio Totius ex partibus, ſiue actuatio qualiſcunque. Adhibeo ad euitandam confuſionem hæc vocabula: Mouere ens de mera non entitate ad entitatem, dico Facere, vel Producere.

Mouere Ens præexiſtens ad aliquem actum, dico Actuare:

Itaque Mouens, Mobile, Motum, ſignificant indiſtinctè Faciens, Factibile, Factum: Producens, Producibile, Productum: Actuans, Actuabile, Actuatum.

Itaque volo exponere habitudines per ſe intelligibiles, communes motibus immanentibus, & tranſeuntibus.

Habitudinum ergo per ſe intelligibilium, quæ intercedunt extrema cuiuſquè motus, numero quatuor.

Principium motus mouet ſuum terminum. Terminus motus mouetur à ſuo Principio. Principium motus opponitur ſuo termino. Terminus motus opponitur ſuo principio.

Sol producit lumen.

Lumen producitur à ſole.

Ignis calefacit lignum.

Lignum calefit ab igne.

Petrus cognoſcit ſe.

Petrus cognoſcitur à ſe.

Sol opponitur Lumini vt à ſe producto.

Lumen opponitur ſoli, vt ſe producenti.

Petrus ſe cognoſcens opponitur ſibi vt cognito.

Habitudinum autem, per ſe noſcibilium, quæ intercedunt extrema motus ab vna, & Ens aut Non-Ens ab altera parte, numero ſeptem.

Mouens eſt Ens.

Non-Ens non mouet.

Terminus motus eſt Ens.

Non-

Non Ens non est terminus motus
Fibile non est Ens.
Actuabile est Ens.
Fibile fit ex nihilo sui.
Has nemo sanæ mentis negabit.

Ex his ergo habitudinibus per se notis, demonstrabo alias, quas nulla pars Philosophiæ sibi vendicat, velut proprias: sed prius subiungo non nulla pro clariore intelligentia habitudinum enumeratarum.

Motus non distinguitur in duos motus, iccircò quòd in omni motu duæ concurrant habitudines: via, quæ ducit à foro ad templum, est eadem illi, quæ ducit à templo ad forum: v.g. Calefactio est vnus motus, qui, vt inuoluit habitudinem calefacientis ad calefactum, consideratur, vt est actiuus, quatenus autem implicat habitudinem calefacti ad calefacientem, consideratur, vt est passiuus. Quoniam verò Actio opponitur Passioni, resultant reliquæ duæ habitudines.

Non tamen aio entitatem principij opponi entitati termini. Ego sum Ens, aliud à Theophilo, nec tamen, ob hanc distinctionem entitatiuam, Valerianus opponitur Theophilo: quemadmodum neque sol opponitur lumini, nec lumen soli: opponuntur tamen habitudines scilicet ea, quæ est Producentis ad Productum, opponitur illi, quæ est Producti ad Producentem.

Illæ verò habitudines, quæ non intercedunt extrema motus, licet sint diuersæ non tamen sunt eatenus oppositæ. Quaternio est duplum Duernionis, & Duernio est subduplum Quaternionis, quæ habitudines sunt duæ, & diuersæ, non tamen oppositæ. At verò mouere non solùm non est moueri, sed mouere opponitur ipsi moueri. Opponitur, inquam, incomposibiliter: scilicet eo modo, quo actus opponitur potentiæ, & Ens Non-Enti: ita vt tàm sit impossibile, quod mouere sit moueri, quam est impossibile, quod Ens sit Non-Ens: terminus enim motus non esset, si mouens non moueret.

Notandum tamen quòd, licet inducam productionem, tamen hoc loco non aio dari motum de mera non entitate ad entitatem, sed cum videatur dari in rerum natura, opportunè expendo, cuiusmodi sit, si detur.

Percontanti autem, vtrum habitudines inter extrema motus, & Ens, & Non-Ens demonstrantur ex hac:
Ens necessario est Ens.

Dico, quòd inde deriuetur earum euidentia, non tamen per veram illatio-

illationem sed per quamdam comparationem: nam Ens vt est Ens ---- impossibile est, sit simul Non Ens: Sic Mouens euidenter præbabet id, quod mouendo alteri confert; & est absolutè impossibile, quòd actiuè mouendo aut faciat, aut Enti præexistenti det id, quod ipsum aliquo modo non est aut non habet.

Non secus quemadmodum Non-Ens euidenter est Non Ens; & est absolutè impossibile sit simul Ens. Sic Ens fibile non est, antequam fiat, & Ens actuabile non habet actum, ad quem est in potentia, antequam actuetur; estque absolutè impossibile, sit, antequam fiat, sitque actuatum, antequam actuetur. Hæc omnia per se nota sunt intelligenti terminos.

Capvt V.

Axiomata demonstrata inter extrema vnius Motus.

POsitis ergo hisce propositionibus per se notis, infero habitudines, quæ intercedunt extrema eiusdem motus, illaturus postmodum illas, quæ intercedunt plures motus subordinatos: sic igitur argumentor.

Mouere actiuum est notoriè prius termino sui motus.

Id, quod est prius termino sui motus, est independens ab illo.

Ergo Mouere actiuum est independens à termino sui motus.

Hæc conclusio non contradicet habitudini per se notæ, quòd mouens moueat terminum: nam mouens, vt subsistit in termino, consideratur sub habitudine, quæ dependet à termino : vt verò consideratur eius virtus motrix, seu eius actiuum mouere, id nequaquam dependet à termino.

Pater, qui genuit filium, est generans, quod esse generantem dependet à filio genito: Licet actiuum generare sit independens à filio. Hoc ipsum infertur hac illatione.

Mouens actiuum est actu hoc, quod mobile est potentia.

Id, quod est actu hoc, quod mobile est potentia, necessario est independens à termino sui motus.

Ergo mouens actiuum est independens à termino sui motus.

Mouens verò dat termino, in quo subsistit, esse hoc, quod non esset, si mouens non moueret.

Id verò, quod dat termino, in quo subsistit, esse hoc, quod non esset, si mouens non moueret, est imposibile det id, quod datum sibi desit.

Ergo Mouens non dat id, quod datum sibi desit.

Scilicet, Mouentis virtus motrix non consumitur mouendo.

Hæc conclusio non potest euerti, nisi ponamus nullum dari motum: qui tamen neque negatur, neque potest sine insania negari: si enim dicas terminum, procedentem à Mouente, deesse mouenti, id non est mouens, sed est diuisum, aut corruptum ab alio mouente, qui, si & ipse eatenus diuidatur in infinitum, inducitur multitudo infinita, quæ est impossibilis, vel necessariò datur mouens, quod mouendo non diuiditur, nec vllo modo corrumpitur.

Itaque Mouens non solùm est Ens actu, sed est & turgens, seu prægnans entitatis, quam citra sui detrimentum dat.

Hæc porro conclusio, eatenus demonstrata, est prægnans vniuersæ Philosophiæ, quam nemo, ratiocinando eduxerit in lucem humanæ menti, aliunde à præfato axiomate. Vbi verò, Theophile, fueris assecutus scientiam aliquam de natura, tum velim reminiscaris eorum, quæ nunc subiungo. Entium omnium alia fiunt, alia faciunt. Illa, quæ nil erant, & veniunt ad actum essendi, fiunt simpliciter. Quæ verò præexistunt & mouentur ad actum quem, non habebant, non fiunt simpliciter, sed fiunt secundum illum actum, ad quem mouentur.

Illa entia de nominaui facta, seu producta: hæc dixi actuata.

Entia ergo, quatenus sunt aut facta, aut actuata, denominaui fientia, vel simpliciter, vel secundum aliquid.

At verò Mouentia, quatenus mouent, non sunt fientia, sed Entia: ita vt de ratione entis, vt distinguitur à fientibus, sit esse, non solùm actu, sed esse turgens entitatis in exhauribilis, quatenus det fibilibus & actuabilibus esse aliquid entis.

Porro profundam huius inexhauribilitatis est scaturigo & entium, & omnium scientiarum. Pergo.

Id quod fit, antequam fiat, non est ens actu.
Faciens necessario est ens actu,
Ergo id, quod fit, non est faciens.
At verò id, quod fit à se, necessario est faciens.
Ergo id, quod fit, non fit à se: scilicet;
Id, quod fit, fit ab alio ente.
Id, quod facit, non est fibile:
At id, quod facit se, necessariò est fibile.
Ergò id, quod facit, non facit se: scilicet
Id, quod facit, facit ens aliud à se.

Huic

Huic ratiocinio simile est quod sequitur.

Id, quod mouetur antequam moueatur, non habet actum, ad quem mouetur. At mouens habet necessariò aliquo modo actum, ad quem mouet suum mobile, Ergo id, quod mouetur, non est mouens.

At vero id, quod mouet se, necessariò est mouens.

Ergo, id quod mouetur, non mouet se: scilicet,

Id, quod mouetur, mouetur ab alio.

Id, quod mouet, non est mobile.

At id, quod mouet se, necessario est mobile.

Ergo id, quod mouet, non mouet se.

Scilicet: Id, quod mouet, mouet ens aliud à se.

His conclusionibus adnumero has, velut demonstratas.

Id, quod factum fuit, fuit factum ab alio.

Id, quod fecit, fecit ens aliud à se.

Id, quod motum fuit, fuit motum ab alio.

Id, quod mouit, mouit ens aliud à se.

Siquidem illæ propositiones, vnde deriuanda esset conclusio, sunt æternæ, & incommutabiles, & consequenter verificantur sub quauis differentia temporis: si enim v.g. hæc propositio, Ens est Ens, arctetur ad tempus præsens hoc modo.

Ens nunc necessariò est Ens. non possum ex vigore eius inferre, quod Adam, cum actu existeret, necessario fuerit Adam: quoniam verò ea ponitur æterna, & incommutabilis, tam fuit necessariũ, Adamũ, cum extitit, esse Adamum, quàm est necessarium, te Theophilum nunc esse Theophilum. Non secus tàm est necessarium, Id, quod motum fuit fuisse motum ab alio, quàm id, quod nunc mouetur, moueri ab alio.

Igitur id quod mouet trãseũter, necessario mouet Ens aliud à se & id, quod mouetur, necessario mouetur ab alio Ente: quapropter per cognitã existentiã principij motus infertur existẽtia termini eiusdẽ motus.

Cognosco granum frumenti esse in agro, vnde infero futuram existentiam spicæ Per cognitam existentiam termini motus, infertur existentia Principij eiusdem motus.

Cognosco spicam frumenti esse inagro, vnde infero extitisse granum frumenti in eodem agro.

Quoniam verò hæ demonstrationes præferunt facem inuestiganti occultas entium existentias, necessarium est considerare attentius ipsũ motũ, qui illas inuoluit, quatenus intelligamus in omni motu, illa, vnde

cognoſcamus naturam illorum entium, quorum exiſtentiam, aut noſcimus immediatè, aut demonſtrauimus.

Exordior autem ab Habitudine mouentis ad terminum ſui motus, ſiue ſit immanens, ſiue tranſiens: Hanc igitur animaduerto eſſe immediatam, puta habitudinem ſolis illuminantis lunam, ad Lunam illuminatam à ſole: ſcilicet intelligo eſſe aliquid in corpore ſolari, quòd immediatè, ſe ipſo mouet. Id enim, quod dicitur illuminare, & negatur illuminare ſe ipſo, neceſſariò ponitur mouere id, quo mediante illuminat v.g ſi A per B illuminat C, neceſſariò A immediatè mouet B, vt B immediatè illuminet C. & conſequenter vtrumque Principium mouet immediatè terminum ſuum. Sin verò quis ponat A non mouere B, ſequitur, quòd nec moueat C. & tamen ſupponitur A eſſe principium motus. A ergo eſſet, & ſimul non eſſet mouens. Hoc autem eſt inintelligibile, & impoſſibile. Itaque principium motus neceſſariò mouet aliquid immediatè ſe ipſo: At verò proceſſus infinitus in ſubordinatione mouentium & mobilium, ſi ſit poſſibilis, obſcuraret immediationem expoſitam. Si enim A, vt moueat G mouet F, idque per E, & E per D, & ita deinceps in infinitum, nullus poteſt aſſignari terminus, quem A moueat immediatè Hic verò proceſſus infinitus, affirmatus de aliquo principio motùs, demonſtratur impoſſibilis hoc argumento.

Principium motus, quod mouet terminum ſuum per motus mediatos, ſubordinatos in infinitum, inuoluit multitudinem infinitam.

Id autem, quod inuoluit multitudinem infinitam, neceſſariò eſt impoſſibile.

Ergò Principium motus, quod moueat terminum ſuum per motus mediatos, ſubordinatos in infinitum, eſt impoſſibile. Hinc opportunè expono, quòd motus, mouentis immediatè, non ſit ens, medium inter principium, & terminum vllius.

Eiuſmodi enim Ens, ſi expendatur accuratius, deprehenditur inintelligibile. Eſt quidem neceſſarium, quod, in motu mediato, intercedat Ens medium, quod mouetur à primo Mouente, quatenus moueat terminum deſtinatum, ſed hoc Ens medium mouetur immediatè à Mouente.

Cogita v.g. ſolem producere calorem: ſi hæc productio ſit Ens, entitatiuè diſtinctum à ſole, & à calore producto, neceſſario ipſa productio caloris eſt producta à producente, quæ ſecunda productio, vel procedit in infinitum, vel datur productio non producta. Cùm verò proceſſus in infinitum ſit inintelligibilis motus, qui ſit Ens, medium inter prin-

ter principium & terminum,est imposſibilis Is autem, qui ſeponit à mouente ipſum motum,velut ſit nil entis inter extrema motus, intelligit claré,quòd motus actiuus ſit eſſentia mouentis.

Do exemplum; Sol producit lumen. Lumen eſt paſſiuè productum. Ipſum verò actiuum producere eſt ipſa eſſentia Producentis,qua poſita,lumen producitur,à qua productione ſol denominatur producens. Verùm actiuum illud producere, quatenus eſt motus immanens. non eſt,nec denominandum eſt productio, cùm motus ille ſit ipſa eſſentia producentis;ſed hæc eſſentia eſt energia entis illius,quod eſt principium mouens,quæ energia,comparata inertiæ entis immotiui, non poteſt aliter diſtingui ab illa inertia,quàm quòd energia illa ſit motus eſſentialis. Tu verò obijcis manere eſſentiam,v.g. imaginantis, ceſſante motu imaginationis. Ego repono non eſſe cenſendum de rationibus æternis. Ex ijs quæ obſcurè cognoſcimus in concretis.

Nihilominus ſoluo obiectionem quatenus in eiuſmodi quæſtionibus ſolutionem ſupponas,tametſi eam non adducam. Aio v. g. ſuſceptam per oculos lucem, ſimillimam Theophilo,eſſe eſſentialem imaginanti Theophilum & eſſe imposſibile eiuſmodi imaginantem non imaginari Theophilum,quamdiu eſt actuatus ſufficienter ab illo Lumine,quod tamen,licet ſit eſſentiale imaginanti Theophilum, non eſt eſſentiale Homini,vt eſt Homo,qui propterea manet ceſſante imaginatione illa. At verò illa imaginatio non poteſt ceſſare, quin actus illius Lucis ceſſet informare eum,qui imaginatur Theophilum: ſcilicet, non ſuppono eſſentiam mouentis eſſe ſimplicem,neque confundo indeficientiam motus,cum indeficientia mouentis; ſed duntaxat intuli non poſſe manere eſſentiam mouentis , quin maneat eius actiuum mouere.

Hæc verò conditio mouentis accommodatur termino motus,quatenus mouetur à ſuo principio Scilicet ille terminus,qui fit, fit immediatè à ſuo principio. Is verò,qui Præexiſtens mouetur,mouetur immediatè à ſuo mouente. Ignis producit calorem in ligno. Calor fit, lignum calefit,& fitio caloris, & calefactio ligni neceſſariò proueniunt ab aliquo principio immediatè faciente, & calefaciente, ita vt nil intercedat principium & terminum,ſcilicet: quemadmodum motus actiuus eſt eſſentia mouentis, quatenus mouet; ſic motus paſſiuus eſt eſſentia termini,quatenus eſt terminus. Actiuum lucere , eſt eſſentia Producentis lucem.

Paſſiuum produci lumen,eſt eſſentia luminis producti : ita vt nec

motus actiuus, nec passiuus sint entia distincta entitatiuè à principio & termino, sed sunt habitudines reales, oppositæ incompossibiliter.

Itaque principium motus, tametsi mediatum, mouet aliquid se ipso, eiusuè mouere actiuum non est Ens, medium inter extrema motus, sed est essentia mouentis, principiumque motus transeuntis.

Sic terminus motus, licet mediatus, mouetur immediate ab aliquo mouente, & consequenter motus passiuus non est Ens, medium inter extrema motus, sed est passiuum moueri ipsaque essentia termini motus. Hinc perspice, vt infertur natura extremorum motus.

Principium producens producit immediatè se ipso terminum aliquem.

Id, quod producit immediatè se ipso terminum aliquem, necessario producit terminum aliquem, sibi aliquo modo connaturalem.

Ergo principium producens, producit terminum, sibi aliquo modo connaturalem.

Terminus productus producitur a principio producente se ipso immediatè.

Id quod producitur à principio, producente se ipso immediate, necessario producitur aliquo modo connaturale producenti.

Ergo terminus productus producitur aliquo modo connaturalis producenti.

Principium actuans actuat se ipso immediate subiectum actuabile.

Id, quod actuat se ipso immediatè subiectum actuabile, necessario dat actuabili esse aliquo modo sibi connaturale.

Ergo principium mouens dat actuabili esse aliquo modo sibi connaturale.

Ens actuatum actuatur ab actuante se ipso immediatè.

Id autem, quod actuatur ab actuante se ipso immediatè, necessariò est aliquo modo connaturale actuanti.

Ergo Ens actuatum est aliquo modo connaturale actuanti.

Hæc porro natura, eatenus demonstrabilis de Ente, cuius existentiam vel intulimus, vel vltro cognouimus, est, respectiuè ad nostrum modum intelligendi, duplex,

Vna refert mensuram entitatis extremorum dati motus, quem subijcimus illationi. Altera præcisè innuit illum motum, vt est à parte rei. v.g. nunc considero motum, & expendo mensuram entitatis inter actuantem, & subiectum actualibe, & animaduerto Ens actuans esse actu hoc, quod Ens actuabile est potentia: quæ proportio entitatis concernit aliquid vltra mouentis, aut mobilis existentiam. Ve-

Verum hæc natura eatenus demonſtrata differt plurimum ab illa, quæ eſt vel gradus, vel modus entitatis. Sunt mouentia, quæ ratiocinantur, imaginantur, ſentiunt, vegetant, lucent: ex his verò quædam v.g. vegetant modo leonino alia bouino, alia ficulneo. Oportet ergo poſt demonſtratam exiſtentiam aggredi naturam, ſed prius illam abſtractam, quàm hanc præciſam.

Capvt VI.

Axiomata demonſtrata ex propagatione Entitatis per plures motus.

HÆc tradiderim de habitudinibus inter extrema eiuſdem motus: nunc aggredior habitudines, quæ intercedunt plures motus, quatenus ſunt ſubordinati, Gallus cantat, & Leo rugit, citra vllam ſubordinationem. At luna, illuminata à ſole, illuminat Terram, cum ſubordinatione manifeſta. Illæ vero habitudines, quæ intercedunt motus ſubordinatos, concernũt vel menſuram entitatis, vt propagatur à mouente per plura mouentia ſubordinata: vel reſpiciunt pluralitatem, & ordinem mouentium & mobilium ſubordinatorum. Exordior autem à propagatione naturæ primi mouentis per mouentes ſecundos: ſed diſtinguo mouentes indeficienter, ab his qui ceſſant mouere.

Qui ſecat lignum, mouet ſecurim per brachium, id per muſculos, hos per ſpiritus animales, hos immediate ſe ipſo, quod vltimum mouere eſt, vt dixi, eſſentia mòuentis, vnde formo ſyllogiſmum.

Mouens eſt eſſentialiter motus actiuus.

Id quod eſt eſſentialiter motus actiuus, neceſſariò mouet actiuè indeficienter & perfectè.

Ergo mouens mouet actiuè indeficienter & perfectè.

Itaque mouens eſt eſſentialiter motus actiuus.

Id, quod eſt eſſentialiter motus actiuus, neceſſario diſtinguitur in principium & terminum illius motus eſſentialis.

Ergo mouens diſtinguitur in principium & terminum ſui motus eſſentialis.

Id autem, quod diſtinguitur in principium & terminum ſui motus eſſentialis, neceſſario quatenus eſt principium, opponitur ſibi ipſi, vt eſt terminus eiuſdem motus eſſentialis.

Ergo mouens, quatenus eſt principium, opponitur ſibi ipſi, vt eſt terminus eiuſdem motus eſſentialis.

Anim

Anima vegetat corpus; Hoc passiuum vegetari transit ab anima in corpus & perficitur cum successione: At actiuum vegetare, est independens à corpore, estque indeficiens & perfectum; est, inquam, integra natura vegetantis, in qua distinguuntur extrema illius motus essentialis.

His conclusionibus cointelliguntur, citra illationem, hæ propositiones.

Terminus motus essentialis immanet mouenti.

Terminum motus immanere mouenti est terminum esse essentialem principio mouenti.

Mouens transeunter, prius natura mouet immanenter.

Mouens, cuius motus actiuus est eius essentia, est essentialiter virtus Motrix: Itaque mouens est essentialiter virtus Motrix.

Id verò, quod est essentialiter Virtus motrix, necessariò explet totam virtutem motricem in termino sibi essentiali.

Ergo Mouens explet totam Virtutem motricem in termino sibi coessentiali.

Id quod explet totam Virtutem motricem in termino sibi coessentiali, si moueat transeunter, necessariò subsistit in termino, qui prius natura est in virtute motrice virtualiter, expressus in termino motus immanentis, quam sit actualiter extra identitatem eiusdem mouentis.

Ergo Mouens, si mouet transeunter, subsistit in termino, qui prius natura est in virtute motrice Virtualiter, expressus in termino motus immanentis, quàm sit actualiter extra identitatem eiusdem mouentis.

His eatenus illatis ponā aliquas propositiones, certas & euidentes, citra illationem, sed per solam collationem, seu comparationem.

Ens Mouens immanenter, vt est terminus illius motus, est Æquale in entitate sibi, vt est principium eiusdem motus.

Ens mouens transeunter excellit entitatem termini, in quo subsistit.

Scilicet extrema motus immanentis sunt æqualia in entitate.

Extrema motus transeuntis sunt inæqualia in entitate.

Itaque mouentem subsistere in termino, qui superet entitatem mouentis, est impossibile.

Subsistere autem in termino immanente, qui æquet entitatem & in termino transeunte, qui deficiat ab entitate mouentis, est necessarium.

En Theophile, vt quæsita mensura entitatis in propagatione subordinata naturæ principij mouentis, occurrit clara, & euidens: Nimirum si Ens, tametsi polleat infinita Virtute motrice, moueat transeunter, necessa-

necessariò dat terminum, degradatum à sua entitate, qui terminus, si moueat quoque transeunter, necessariò dat terminum degradatum à propria entitate, & ita deinceps

Quoniam verò terminus motus transeuntis degradatur à perfectione sui principij, monendus es, mi Theophile, quod gradus entitatis sic sunt inter se inæquales, vt inter quosuis gradus nulla possit induci æqualitas Entitatis: v.g. Dentur libræ duæ, vna auri, altera argenti, aio argentum non æquaturum perfectionem metallicam Auri, tametsi argenti quantumlibet addas argento. Sanè eiusmodi additione superabis, nedùm æquabis valorem ciuilem auri: at verò perfectio metallica non potest eiusmodi additione æquari: quapropter gradus propriè non differt à gradu, sed inferior deficit à superiore.

Itaque Mouens transeuntèr dat terminum, à se transeuntem, degradatum à perfectione propriæ entitatis. Id verò, quod dat terminum à se transeuntem, degradatum à perfectione propriæ entitatis, necessariò est eminenter id, quod terminus, in quo subsistit, est formalitèr.

Ergo Mouens transeuntèr est eminentèr id, quod terminus, in quo subsistit, est formalitèr:

Cùm enim mouens transeuntèr sit actu hoc, quod mutandum est de potentia ad actum, cumque terminus motus transeuntis sic degradetur à perfectione mouentis, vt nulla additione possit euehi ad æqualitatem. Philosophi hanc inattingibilitatem denotant, cum aiunt gradum entitatis superiorem continere inferiorem eminentèr: inferiorem verò participare superiorem formalitèr.

Scilicet, præcisio formarum in terminis, transeuntibus à principio motus, non est requirenda in principio, siquidem id est eminentèr illa, quæ ab eo procedunt degradata.

Hæc porrò degradatio facessit negotium difficillimum argumentanti naturam aut principij ex cognito termino, aut termini ex cognito principio: eo quòd proportio entitatis eminentis ad formalem non possit exhiberi in numeris. Exhibe, si potes, in duobus numeris proportionem entitatis principij ratiocinantis, cum principio imaginante. Igitur hisce legibus æternis, & incommutabilibus natura mouentis propagatur per motum immanentem & transeuntes mouentes subordinatos.

Capvt VII.

Axiomata demonſtrata ex ſubordinatione mouentium.

SUperſunt illa,quæ ſpectant numerum & ordinem mouentium & mobilium ſubordinatorum,quæ conſideratio eſt duplex: alia vergit ad inquiſitionem mouentium,ſi fortè adinueniat primum mouens immotum:alia declinat ad terminos motuum,ſi fortè hæreat in moto non mouente.

Inquirenti mouens immotum obeſt ſuſpicio,quòd detur inter mouentia aut circulus,aut proceſſus ininfinitum. Si Abraham ponatur genitus ab alio homine,& hic ab alio,& ita deinceps, eiuſmodi ſubordinatio dicitur procedere ininfinitum.Si ſol illuminans lunam, à qua illuminatur Terra,ponatur illuminari à Terra, quatenus ſic illuminatus,ſit potens illuminare lunam,eiuſmodi ordo, aut ſubordinatio dicitur inflexa ad circulum.Argumentanti verò ex motu actiuo, error de poſſibilitate aut circuli, aut proceſſus ininfinitum in præfatis ſubordinationibus.inijcit tenebras,euertitque totam ratiocinationem: quapropter ex demonſtratis propoſitionibus inferenda eſt impoſſibilitas & circuli,& proceſſus in infinitum.

Subordinatio actuantium,& actuabilium,facientium & factorum protracta ininfinitum,vel flexa in circulum,ſupponit, potentiam abſolutè præcedere actum. Id verò,quod ſupponit potentiam abſolutè præcedere actum eſt incommutabiliter inintelligibile & impoſſibile.

Ergo ſubordinatio actuantium & actuabilium,facientium & factorum.protracta ininfinitum, vel flexa in circulum,eſt inintelligibilis, & impoſſibilis

Declaratur minor:ſi v.g propagatio hominum,reſoluta à filio in patrem,à patre in Auum euoluatur ininfinitum, ita vt non concedatur primus Homo,ſequitur hinc,omnes homines, quotquot extiterunt, fuiſſe generatos ab alio homine: ſi quis dicat extitiſſe primum generans hominem,qui à nullo alio homine fuerit generatus, hic concedit actum præcedere potentiam.

Sin verò aſſerat extitiſſe quidem primum hominem generatum, at à nullo:hic concedit potentiam præcedere actum. Verùm ſi quis ponat non extitiſſe primum hominem,ſed ſubordinationem generantium & generatorum procedere in infinitum,hic nec ſtatueret potentiam præcedere actum,nec actum præcedere potentiam,& quemadmodũ impoſſibi-

posſibile eſt potentiam abſolutè præcedere actum, ſic impoſſibile eſt actũ non præcedere potentiam, & conſequenter ille proceſſus ininfinitum eſt inintelligibilis, & impoſſibilis.

Hanc ipſam concluſionem demonſtro falſam eo argumento, quod inuoluat multitudinem infinitam, quæ eſt impoſſibilis. Subordinatio verò, quæ ponitur flecti in circulum, non ſolum detrahit actui præcedentiam reſpectu potentiæ, ſed ponit potentiam præcedere actum. Non nego v.g. Terram illuminatam, poſſe illuminare aliud corpus: quod verò ea illuminet ſolem, quatenus hic poſſit illuminare lunam, à qua illuminetur terra, id ſupponit potentiam præcedere actum: ſcilicet, terra eſt in mera potentia ad lumen, quod ſuſcipit à luna: hæc à ſole: ſol verò illuminatur à terra, quæ ponebatur, vt in mera potentia ad lumen: & tamen potentia hæc ponitur, vt illuminatiua ſolis, id verò eſt impoſſibile, ſcilicet, ſubordinatio actuantium & actuabilium, facientiũ & factorũ terminatur in aliquo mouẽte immoto, faciente nõ facto.

Hinc verò infertur euidentiſſimè concluſio, cuius vſus eſt penè infinitus in ratiocinijs ex motu.

Subordinatio facientium, & factorum, actuantium, & actuabilium non procedit ininfinitum, neque flectitur in circulum.

At illa facientia & facta, actuantia & actuata, quæ non deueniunt ad faciens non factum, actuans non actuatum, ea differentia factionis & motus, quæ inter ipſa propagatur, neceſſario aut procedunt ininfinitum, aut flectuntur in circulum.

Ergo ſubordinatio facientium & factorum, actuantium & actuabilium, neceſſario ſtat in ente, non facto & non moto, ea differentia factionis & motionis, quæ inter ipſa propagatur.

Enos genitus eſt à Seth: aio ſtandum eſſe in aliquo homine, qui mediatè vel immediatè genuerit Seth: ipſe tamen non fuerit genitus ea differentia generationis, qua ipſe genuit filium ſuum: puta Seth genitus fuit ab Adam, qui, licet fuerit motus à non entitate ad entitatem, non tamen eâ differentiâ factionis, aut generationis, ſecundum quam ipſe Adã genuit Seth, & Seth genuit Enos: Adã enim fuit creatus à Deo.

Tu verò, mi Theophile, perpende: & ſi potes, enumera ſubordinationes actuantiũ & actuabiliũ, facientiũ & factorum, quorũ principia immota, & nõ facta demonſtrãtur ſub radio præfatæ propoſitionis æternæ & incommutabilis veritatis. Inter calefacientia & calefacta eſt principium calefaciens non calefactum. Inter frige-facientia, & frigefacta, eſt principium frigefaciens, non frigefactum; Inter alterantia &

alterata est principiũ alterãs, nõ alteratũ. Inter augẽtia & aucta est principiũ augens, nõ auctũ. Inter generantia & generata est principium generans, non generatum. Inter Loco mouentia & locomota, est principium locomouens non locomotum. Hæc dicta sint ad exemplum.

Si quis verò vereatur admittere tot, tantasque conclusiones, is eas resoluat in exarata prima principia ac demum in hanc propositionem, Vnicam ex omnibus, quæ sint omninò per se intellectæ.

Ens est Ens.

Certòque sibi persuadeat, præfatas conclusiones perinde esse veras, ac verum est Ens esse Ens: Licet id sit nostræ ignorantiæ euidentius, posito enim, quod Ens necessariò sit Ens, impossibe est Ens esse non-Ens, & Non-ens esse Ens: & consequentèr ens in potentia est ens in-potentia, non autem est Ens actu, & Ens actu necessariò est ens actu, & impossibile est sit ens in potentia ad eum actum, quem actu est: quapropter non potest Non-Ens, aut Ens potentia, qua eiusmodi, esse principium aut actuans, aut faciens: sed si quid fit; aut actuatur, necessariò fit, aut actuatur ab ente actu, quod absolutè præcedit potentiam: ita vt & processus in infinitum, & circulus in actuantibus & actuatis, facientibus& factis sint inintelligibiles. & impossibiles, & consequentèr in omni differentia actuationis aut factionis stare oportet in principio non actuato, nec facto, nec non & in Ente non actuato eâ differentiâ actuationis, qua actuat, vel non facto ea differentia factionis, qua principium faciens facit.

Et hæc quidem de circulo & processu in infinitum in subordinatione causarum efficientium. Quoniam verò Philosophi ponunt alia tria genera causarum, scilicet materialem, formalem, & finalem, in his processus in infinitum est perinde impossibilis, & inintelligibilis, ac in subordinatione causarum efficientium: Verùm si à causis Materiali, formali & finali separemus omnem motum, seu omnem efficientiam, inintelligibilitas ac impossibilitas subordinationis infinitæ in his causis non infertur præcisè ex impossibilitate, aut inintelligibilitate, quod vel actus non præcedat potentiam, vel potentia præcedat actum, sed infertur ex inintelligibilitate & impossibilitate infinitatis, assertæ de quacunque multitudine quam supra demonstraui luculentèr. Velum hoc loco non expono, quæ concernunt asserta quatuor genera causarum.

Hæc sanè sunt (meo iudicio) demonstrata euitentissimè, sed fortassis non sufficientèr, respectiuè ad imbecillitatem humanæ mentis, quæ dùm dirigit oculum ad lucem veritatis, obumbratur, si intercedant ali-

qua,

qua, à se confusè cognita. Eiusmodi vmbram, seu tenebras offundit distinctio subordinationis mouentium, & mobilium, quæ simul mouent, & mouentur, ab ea subordinatione, in qua nil actu mouet, præter vltimum mouens, nilue mouetur præter vltimum mobile, licet hæc fuerint mota ab alijs, atque alijs. Do exempla.

Apud Peripateticos Deus mouet Angelum, Angelus mouet octauam spheram, hæc mouet orbem solis, hic rapit secum solem. In hac subordinatione Deus mouet immotus: reliqua mouent mota: Mouent, inquam, ac mouentur actu, quouis momento temporis.

Alterius subordinationis exemplum sit hoc: Iudas genitus est à Iacob: hic ab Isaac: hic ab Abraham Porrò quando Iacob genuit Iudam, non sic congenerabant Isaac & Abraham, vt orbe solis mouente solem, octaua sphera, Angelus, & Deus simul mouent.

Est porrò impossibilitas processus infiniti in prima subordinatione euidentior, quàm in secunda: vnde dubitatum est a nonnullis, imò creditum, processum in infinitum in mouentibus & motis, quæ non simul commouent, & commouentur, esse possibilem. Ego verò existimo, hanc opinionem falsam fuisse inductam, non tàm à præfatis tenebris, quàm ab auctoritate Aristotelis, inducentis mundi æternitatem, quæ dignoscitur falsa euidentissimè, si ille processus In infinitum sit impossibilis.

Verum, si hic error irrepit aliunde haud dubium Obuenit à differentia præsentium motuum à præteritis: Vt enim clarius intuemur præsentia, quàm cogitamus absentia, sic ea, quæ nunc fiunt, quàm quæ cogitantur præterijsse. Leuis sanè occasio allucinationis, quæue facillimè tollitur. Impossibilitas processus in infinitum infertur ab æterna & incommutabili necessitate, quod actus præcedat potentiam, idque sub quauis differentia temporis: quapropter nil refert, siue vltimum mouens nunc moueatur à penultimo, siue fuerit motum de potentia ad actum tempore præterito. Vt vt sit, aut fuerit, necessarium est, actum nunc præcedere potentiam, si nunc fiat motus, & præcessisse, si pridem facta sit mutatio: Vtrobique enim (si concedatur processus infinitus) tollitur præcedentia, quæ debetur actui respectu potentiæ. Id verò est æternaliter & incommutabiliter impossibile.

***

CAPVT VIII.

Axiomata demonſtrata ex ſubordinatione mobil um.

SEpoſito autem,& proceſſu infinito, & circulo, velut ſcandalis, in quæ impingat is, qui in ſerie mouentium & motorum, inquirit mouens immotum, oportet ſeponere illa quoque ſcandala, quæ poſſent eſſe offendiculo ſatagenti adinuenire facta non facientia, & mota non mouentia.

Videtur enim rationabile, quod vt inter mouentia ſubordinata datur mouens immotum, faciens non factum, ſic inter mota ſubordinata detur motum non mouens, & factum non faciens.

Sed hoc iudicium ſubuertitur & ab auctoritate, & à nonnullis argumentis, quibus ſuadetur diuiſibilitas corporis ininfinitum: qua conceſſa eſt veroſimile eminentiam entitatis ſic poſſe degradari ininfinitum, vt moles corporis, quantumlibet parua, poteſt diuidi in partes, ſine fine minores.

Imo degradatio infinita eſt veroſimilior diuiſione corporis infinita, tum quòd gradus in entitate eminenti non ſunt vnum per compoſitionem pro vt ſunt partes ex quibus corpus integratur.

Tum etiam, quòd ipſa eminentia ſit infinita, quatenus terminus motus, ab illa tranſeuntis, non poteſt vlla ratione æquare illam: diſtant enim interuallo infinito: quæritur ergo vtrum degradatio infinita ſit poſſibilis? Nam, quemadmodùm gradatio procederet ininfinitum, ſi moventia ſubordinata forent infinita, ſic degradatio procederet in infinitum, ſi ſubordinatio mobilium procedat in infinitum.

Hanc quæſtionem, Theophile, ſoluo ijs duntaxat argumentis, quæ dari poſſunt ex ratione motus, conſiderati abſtractiſſimè, quapropter non ſatisfacio hoc loco diuiſibilitati corporis infinitæ, quæ objicitur: Fortasſis argumentum, damnans degradationem infinitam, damnabit ſuo loco & corporis diuiſibilitatem infinitam.

In ſerie mouentium, & mobilium proceſſus infinitus ad mouentia, ſi concedatur inuoluit numerum mouentiũ infinitum: ſiquidem unũquodque movens, non movet, niſi motum ab alio. Proceſſus verò ad mota, tametſi ponatur infinitus, tamen, ſi ſit ſuccesſivus, non involvit numerum mobilium infinitum, non ſecus ac anni præteriti, ſi mundus

pona

ponatur æternus, necessario sunt infiniti, futuri verò sunt finiti, licet semper plures succedant in infinitum.

Hinc constat, quod processus infinitus à mouente posteriore ad anteriorem, intelligatur impossibilis, eo quoque argumento, quod involvat numerum infinitum, quem demonstraui inintelligibilem At verò processus successiuus à termino motus antecedentis ad terminum subsequentis non potest ex hoc capite demonstrari impossibilis: demonstratur tamen talis, eo ipso argumento, quo prior processus damnatur impossibilitatis: sic enim ratiocinor.

Degradatio terminorum transeuntium à mouentibus subordinatis, propagata in infinitum, involvit gradus entitatis infinitos in quolibet dato gradu.

Id autem, quod involvit gradus entitatis infinitos in quolibet dato gradu, necessariò est ens limitatum, quod possit participari gradibus successiuè infinitis. Ergo degradatio terminorum transeuntium à mouentibus subordinatis, supponit ens limitatum, quod possit participari gradibus successiuè infinitis.

Hæc porro conclusio est contra theses expositas, & illatas, nimirum Ens vnum & idem, erit finite & infinitæ entitatis Ens enim finitum daret gradus entitatis infinitos.

Itaque propagatio Entium desinit in Entibus, quæ nequeant mouere transeunter. Verum ea demonstratione non infertur. Quod Ens immotivum transeunter. Vt immotivum, & immanenter. Sane nullum entium movet transeunter, quin moueat immanenter: at verò motus transiens Non videtur necessariò consequi motum immanentem. Vt vt sit, hæc quæstio est altioris indaginis non enim potest satis euidenter definiri ex demonstratis.

Hisce verò auditis non dubito, Theophile, quin tibi videar. Excessisse terminos, quos præscripsi huic tractatui.

Rationem motus universalissimè considerati constitui demonstrare, & inquiro Ens mouens immobile, & Ens motum immotivum, quæ Entia, non solùm sunt existentia, sed illud inter existentia est primum, ac summum. Hæc verò fortasfis sunt frequentiora, & plurima; siquidem omnia mouentia desinant in entia immotiua.

At nego, Theophile, me intulisse existentiam eiusmodi entium, sed duntaxat exposui rationem subordinationis mouentium & mobilium.

In suc-

In successu verò Philosophiæ, vbi posuero existentiam eiusmodi subordinationis, inferam sub radio harum protothesium existentiam & naturam illorum entium: hoc enim loco ignoro, an existant eiusmodi mouentia & mobilia subordinata: Entia verò concreta à me commemorata, non inducuntur per modum argumenti, sed per modum exempli, vt alio loco præmonui.

Capvt IX.

Axiomata ex identitate rationis.

Supersunt loco postremo illæ habitudines rationis identicæ, quæ non cognoscuntur solâ comparatione, sed intercedit illatio: sanè identitas rationis inter duo entia, distincta entitatiuè, intelligitur sola comparatione: Verùm, vt dixi si quis cognoscat hanc identitatem inter duo mouentia, hic infert proportionalem identitatem in terminis motuum illorum, nulla facta comparatione aut consideratione eorundem terminorum: nam hæc identitas infertur etiam antequam mouentia subsistant in suis terminis, exeântque in actum motionis.

Hinc verò assignantur, ac demonstrantur quædam axiomata, magni vsus in ea parte Philosophiæ, quæ denominatur Mathematica, sed prius expono, quòd illa quoque entia à me hoc loco dicantur esse eiusdé, aut diuersæ rationis, quæ eundem actum participant æqualiter, aut inæqualitèr. Dentur tres lapides, quorum primus sit in longitudine æqualis secundo, & tertio sit inæqualis: aio, me considerare in illis triplicem rationem, vna est naturæ lapideæ: altera quantitatis continuæ: Tertia numeri partium longitudinis. Illi tres lapides conueniunt in eadem ratione naturæ lapideæ, & quantitatis continuæ, sed discrepant in numero partium pedalium.

Distinguo quoque mouentia ex necessitate naturæ à mouentibus ex arbitrio voluntatis. Verùm, ne hoc loco declinem ad motus speciales, declaro me loqui de mouentibus secundum integram, quam habent, virtutem motricem: Petrus ambulat, qui, si velit, potest currere. Hunc considero se se mouere ea velocitate, qua maiorem non habet in sua virtute motrice; & distinguo productionem ex nihilo subiecti a motione, quæ præsuponit ens mobile.

His autem prælibatis sic argumentor. Mouentia non possunt subsistere in terminis, qui superent suam Virtutem motricem, &, per supositionem, mouent secundum integram suam virtutem motricem.

Illa, quæ non possunt subsistere in terminis, qui superent suam virtutem motricem, & movent secundum suam integram virtutem motricem, necessariò subsistunt in terminis habentibus inter se eandem proportionem entitatis ex motu, quam habent virtutes motrices suorum moventium.

Ergò moventia subsistunt in terminis habentibus inter se eandem proportionem entitatis ex motu, quam habent virtutes motrices suorum moventium scilicet,

Moventia æqualia in virtute, subsistunt in termiuis, æqualibus in entitate, ex illo motu

Moventia inæqualia in virtute, subsistunt in terminis, inæqualibus in entitate, ex illo motu.

Movens habens virtutem v. g. centuplam alterius moventis, subsistit in termino habente entitatem ex tali motu, centuplam termini alterius moventis.

Et quemadmodum proportio virtutis motricis ejusmodi moventium infert similem proportionem entitatis inter terminos motus; sic proportio ejusmodi entitatis inter terminos motus infert similem proportionem virtutis motricis inter moventia supra dicta.

Scilicet termini motus æquales in entitate procedunt à moventibus æqualibus in virtute motrice.

Termini motus inæquales in entitate procedunt à moventibus inæqualibus in virtute motrice.

Si calor A. sit centuplo intensior calore B. necessariò principium productivum caloris A. habet virtutem calorificam centuplam ejus, quam habet principium productivum caloris B.

Hæc autem axiomata sunt communia tam productioni ex nihilo subjecti, quàm mutationi Entium præexistentium; hæc tamen mutatio explicatur in propria axiomata, scilicet.

Movens plura mobilia præexistentia, secundum integram suam virtutem motricem subsistit in terminis, habentibus inter se ex motu eam entitatis proportionem, quam potentiæ passivæ eorundem mobilium habent ad actum moventis.

Si potentiæ passivæ sint æquales, entitates terminorum, ex ejusmodi motibus, sunt æquales.

Si illæ potentiæ sint inæquales, entitates terminorum, ex ejusmodi motibus, sunt inæquales.

Si sol calefacit A calefactibile, ut quatuor, & B. calefactibile ut octo,

calor productus in A sic est subduplus caloris producti in B, ut passiva potentia ad actum caloris in A est subdupla ad passivam potentiam ad actum caloris in B.

Hinc derivantur plura axiomata, quæ suis locis demonstrabo.

Caput X.

Quomodo mens humana per axiomata præfata moveatur ab ignorantia ad scientiam.

HAbes, Theophile illa axiomata per se nota & demonstrata, sine quibus sit impossibile Philosophari de natura Entium; quoniam verò humanus intellectus serpit à cognitione unius ad cognitionem alterius entis, expono tibi differentiam hujuscemodi motuum mentaliũ, ut proveniant ex identitate essentiæ, ex identitate rationis, & ex motu. Sanè propositio, essentialiter identica, in prædicato repetit subjectum, idem essentialiter, sed diversimodè cognitum, non solum si de subjecto prædicetur definitio subjecti, v.g.

Homo est animal rationale.

Verum etiam si in prædicato repetatur subjectum, prout subjicitur, puta hanc:

Petrus est Petrus.

Nam affirmatio & negatio involvunt judicium humanæ mentis, quo rem simpliciter imaginatam, seu cognitam infra intellectionem, cognoscimus qualitercunq; intellectivè: quapropter mens nostra per axiomata ex identitate essentiæ non movetur præcisè à cognitione unius ad alterius entis cognitionem, sed promovetur à cognitione imperfecta ad perfectiorem.

Reliqua verò axiomata urgent humanum intellectum a cognitione unius ad aliorum entium notitiam, seu considerationem, nimirum, habitudines ex identitate rationis involvunt considerationem entium invicem comparatorum, quatenus communicant in eadem ratione: Verùm mens nostra comparando Ens cum Ente non movetur ab ignorantia ad scientiam existentiæ, aut naturæ ullius entis, sed duntaxat intelligit entium præcognitorum identitatem in aliqua communi ratione, quapropter nos, eatenus comparando entia cum entibus nil sublimius assequi possumus coordinatione entium in cognoscimento, & prædicamentis.

At verò habitudines, inter extrema motus cujuscunque nequeunt intelligi, quin inferant alterutrum extremorum motus, priùs ignotum.

Hæc

Hæc porro illatio nititur æternitate & incommutabilitate per ſe notarum habitudinum ex motu, ex quibus demonſtratum eſt, quod ſit impoſſibile dari principium motus, quin detur & terminus, qui viciſſim non poteſt dari, quin detur & principium ejuſdem motus. hinc verò infertur ignota exiſtentia alicujus entis.

Eſt quoque demonſtratum, quòd cum movens immediatè moveat ſua natura, neceſſariò terminus motus eſt aliquo modo connaturalis moventi, ita ut ex cognita natura moventis inferatur natura termini ipſius motus, & ex cognita natura termini infertur natura moventis.

Noveris ergo, Theophile, quod, quemadmodum innumeræ habitudines diſtantiarum inter plura corpora, momento reſultant in ſpeculum, ſic in inſtanti actualis cognitionis, ſeu conſiderationis noſtræ, mens noſtra velociſſimè perſentiſcit, imò judicat enumeratas habitudines ex identitate eſſentiæ, & rationis, & ex motu, quæ frequentiſſimè intercedunt entia, non realia, ſed rationis, ita ut ſit difficillimum ſecernere à ſuperfluis eas duntaxat, quarum notitia eſt vera ſcientia, veraque Philoſophia.

Vigent enim inter Philoſophos plurimæ quæſtiones, ſemper diſputatæ, & nunquam definitæ, idcircò, quòd entia, terminantia diſputatas habitudines non ſunt realia, & conſequenter non uno modo, ſed diverſimodè à diverſis concipiuntur mentaliter.

Nullum porro huic malo poteſt applicari remedium facilius, & efficacius, quàm defigere mentem in conſideratione motus. Motus, inquam, realis, quod idcirco moneo, quia plerumque concipimus motus, qui in rerum natura non ſunt, puta materiam primam appetere formam. Formam conferre exiſtentiam materiæ primæ, & alia hujuſmodi.

VALERIANI MAGNI F.C.

Ens non factum.

CAPUT I.

Demonstratur existentia Entis non facti.



POst exarata axiomata ad universam Philosophiam, volo, mi Theophile, deligere ex omnibus Entibus illud, quod primo loco subjiciendum sit illationi.

Ordo autem Doctrinæ postulat, quod ejusmodi Ens sit scibile ex motu, & reliqua per ipsum: libro enim superiore demonstravi, Principium movens cognosci per terminũ sui motus, qui vicissim intelligatur per principium: cùm autem productio Entis ex nullo subjecto sit maximè indicativa existentiæ & naturæ producentis & productorum; haud dubium, si existat Ens improductum, quod produxerit reliqua Entia, id primo loco considerandum est.

Equidem possem Te, citra illationem, manuducere ad intellectionẽ Entis, quod immediatè cerneres esse non factum, unicum, æternum, incommutabile, factorem omnium, sed expedit tibi experiri, quem apicem Theoriæ valeas assequi, ratiocinãdo, quatenus internoscas, quo intervallo distet pura intellectio, à ratiocinatione.

Sanè demonstravi quod terminus productionis est Ens, sed degradatum à perfectione producentis, & hinc liceret pervestigare inter entia degradata, Ens non degradatum, velut id sit productivum Entium imperfectorũ, sed hanc ipsam indaginẽ aggredior cõpendio faciliore.

Pono has duas propositiones, per se notas, super quarum veritate argumentor.

Multa Entia nunc existunt.

Multa Entia extiterunt, quæ nunc non sunt.

Si igitur horum Entium extitit unum, quod nõ sit factum, illud subjiciam illationi, & demonstrabo ejus divinitatem.

Sin verò dicatur, nullum Entium esse non factum, seu omnia Entia esse facta, demonstro hanc assertionẽ esse impossibilem, nedum falsã.

Nam collectio omnium Entium præteritorum & præsentium est multitudo, quæ involvit processum in infinitum, aut circulum inter facientia, & facta.

Multi-

Multitudo verò Entium, cujus singula entia sunt facta, necessariò involvit inter facientia & facta processum in infinitum, aut circulum.

Ergo collectio omnium Entium præsentium & præteritorum non est multitudo Entium, cujus singula Entia sint facta, scilicet. Extitit Ens aliquod non factum.

Caput II.

Ens non factum dicitur & judicatur.

QUoniam verò constitui subjicere illationi Ens tam præclarum, præmitto ejus dictionem præcisam: nimirum, pono me nil aliud demonstrasse, quam existentiam alicujus Entis non facti, sive sint plura, sive unicum, sive id putetur pars alicujus Entis, sive sit Ens integrum sive nunc existat, sive credatur desiisse.

Ens verò non factum denomino Præexistens.

Investigaturus autem naturam ejus exordior argumentationem à motu, qui negatur de illo: scilicet à fictione. Itaque pono hanc minorem radicalem.

Ens Præexistens non est factum, & eandem repono quasi affirmatã.

Ens Præexistens est, sed non factum, est, inquam, pro illo tempore, quando existebat, successus verò ratiocinationis demonstrabit, an nunc quoque existat.

Caput III.

Illatio de Ente non facto.

PRæmissis ergò dictione & judicio sic ratiocinor:

Præexistens non est factum.

Ens, quod se producit, necessariò est factum.

Ergò præexistens non se producit.

Cum Ens denomino productum, aut factum, semper intelligo mutatum de mera non entitate ad entitatem.

Quoniam verò Producens limitat, seu degradat in producendo Ens à se productum, hanc degradationem nomino limitationem, quã distinguo à detractione entitatis, quæ potest accidere Enti facto.

Itaque Præexistens non se producit.

Id autem, quod limitat propriam essentiam, necessariò se producit.

Ergò Præexistens non limitat propriam essentiam.

Producere verò Ens & limitare essentiam Entis producti, inter se diffe-

differunt, non ut motus ab alio motu, sed v.g. ut movere differt à movere regulariter. Et quemadmodum una illatione demonstramus de aliquo Ente, quod moveat, & alia, quod moveat regulariter: sic uno syllogismo intuli, quod Præexistens non producat se, & alio, quod non limitet propriam essentiam: ergo. Præexistens non est factum.

Ens verò habens esse ab alio, necessario est factum.

Ergo Præexistens non habet esse ab alio.

Quod Ens, motum transeunter, necessariò moueatur ab alio, est cõclusio demonstrata; quod verò Ens motum ab alio, sit Ens motũ transeunter, est propositio per se nota: at verò quòd Ens non sit motum ab alio, eo quòd non sit motum transeunter, quia Ens, motum transeunter, necessario mouetur ab alio, involvit realem illationem: neque mirere, Theophile, quòd tàm morosè insistam his demonstrationibus declarandis quarum conclusiones videntur per se notæ, nam inde dependent plurimæ veritates, longius sepositæ ab humana cogitatione.

Igitur Præexistens non producitur ab alio.

Id verò, quod limitatur ab alio necessario producitur ab alio.

Ergo Præexistens non limitatur ab alio.

Itaque Præexistens est nec limitatum ab alio, nec à se, scilicet est absolutè illimitatum.

Hæc porro essentia Præexistentis est simplex.

Præexistens enim est Ens, sed non factũ: Id autem, quod est Ens, sed non factũ, necessario præcedit omnẽ sui passivum motũ transeuntem.

Ergo Præexistens præcedit omnem sui passivum motũ transeuntem.

Id porro, quod præcedit omnem sui passivum motum transeuntem, est impossibile, sit terminus in quo principiũ cõponens subsistat.

Ergo Præexistẽs nõ est terminus, in quo principiũ cõponens subsistat.

Pars enim Entis compositi non est necessario Ens cõpositum: Ens enim, quod denominatur cõpositum, est illud totũ, in quo principium componens subsistit: Homo est totum formale, quod resultat ex compositione animæ cum corpore, tametsi anima sit Ens simplex; nam & partes dicuntur componere totum, non tamen mouendo, sed motæ à componente: quapropter hæc demonstratio non infert Ens Præexistens non componere materialiter ens tertium, infert tamen ipsum nõ esse totum formale, in quo subsistat principium componens, & quemadmodum non tenebræ & lux sunt unum & idem Ens, sic ens, non compositum, est Ens simplex; hinc sic argumentor.

Præexistens est Ens simplex

Ens verò simplex est impossibile, quod per dissolutionem partium deficiat ab existentia.

Ergo Præexistens nō deficit ab existentia per dissolutionē partium.

Quoniam verò id,quod fit,non videtur necessariò fieri indeficienter,tametsi id,quod fit indeficienter,necessariò fiat:sic argumentor.

Præexistens non est Ens factum.

Id autem,quod fit indeficienter,necessariò est Ens factum.

Ergo *P*ræexistens non fit indeficienter. *P*orro fieri indeficienter,& dependere essentialiter sunt unum & idem,quapropter ita syllogizo.

*P*ræexistens à nullo Entiū fit indeficiēter. Id verò quod deficit ab existētia deficiēte altero ente,necessario ab illo ente fiebat indeficienter.

Ergo *P*ræexistens non deficit ab existentia deficiente altero ente.

Distinguo etiam causam essendi ab initio existendi. Si Ens aliquod sic sit immutabile, ut nequeat distingui in ulla momenta successionis illius,præducatque ens aliud,utique erit ejus causa, tametsi in tali producente non possit notari momentum,in quo Ens productum non extiterit, & in quo cæperit existere. Verū,si producēs sit cū aliqua successione,vel illi coexistat aliquod ens successiuè motū,necessario enti producto præter causam essendi,respondet tam in *P*roducente, quàm in coexistente ente successivo,instans, in quo Ens productum non existebat,& in quo cæpit existere. Cajus v.g.anno 30. ætatis *P*etri,sole ingrediente arietem,non existebat: cæpit verò existere *P*etro generante anno *31* & sole subeunte taurum.

Itaque non est necessarium,quod ens factū habeat initiū existendi, si nimirū sit factum à factore immutabili,cui nullū aliud Ens coexistat.

Ad verò,quod Ens,habens initium existendi, sit factum , est per se intelligibile. Quoniam verò habitudo fientis ad facientem,non est habitudo initii,seu coexistentiæ entis facti,cū alio ente,formo illationē.

*P*ræexistens non est factum

Ens habens initium existendi,necessariò est factum.

Ergo *P*ræexistens non habet initium existendi.

*P*roducuntur,Theophile, apud Nos quædam Entia ex necessitate naturæ ipsius *P*roducentis puta radium productum à sole, alia ad arbitrium generantis,puta filium à patre humano,qui filius poterat non esse,scilicet patre non generante:radius verò solaris existente sole, non poterat non esse;nec tamen radius solis est ex necessitate suæ naturæ, sed est ex necessitate naturæ ipsius *P*roducentis. Hinc pono hanc illationem.

Ens *P*ræexistens non est factum.

Id autem, quod poterat non esse, vel est ex necessitate Producentis, necessariò est factum.

Ergò Præexistens nec poterat non esse, neque est ex necessitate Producentis: Scilicet. Præexistens est ex necessitate suæ naturæ.

Id autem, quod est ex necessitate suæ naturæ, est impossibile deficiat ab existentia per intrinsecam imbecillitatem suæ naturæ.

Ergò Præexistens non deficit ab existentia per intrinsecam imbecillitatem suæ naturæ.

Considera ergo, Theophile, conclusiones de Ente præexistente illatas ex sola fitione negata: scilicet:

Præexistens non se producit.
Non limitat propriam entitatem.
Non producitur ab alio.
Non limitatur eius essentia ab alio.
Est Ens absolutè illimitatum
Præcedit omnem passiuum motum transeuntem.
Non est terminus, in quo subbstat principium componens: scilicet,
Est Ens simplex,
Non deficit ab existentia per dissolutionem partium.
Non fit indeficienter: seu, non dependet essentialiter ab ullo Ente.
Non deficit ab existentia deficiente altero Ente.
Non habet initium existendi.
Non poterat non esse,
Non est ex necessitate producentis.
Est ex necessitate suæ naturæ.
Non deficit ab existentia per intrinsecam imbecillitatem suæ naturæ.

Has inquam, conclusiones euidentissimè demonstraui ex sola fitione negata.

Caput IV.

Quid sit Ens ex necessitate suæ naturæ.

VEerùm ex hoc ratiocinio nil prodijt in lucem, quod clarius indicet naturam Præexistentis, si ex fitione negata non inferatur aliquis motus, cuius Ens præexistens sit principium.

Sanè ex superiore elenchò conclusionum, demonstatarum de Ente Præexistente hæc-

Præexistens est ex necesſitate suæ naturę, inuoluit motū, qui immanet Præexistēti; nimirū, esse ex necesſitate suę naturę, videtur inintelligibile

sine

ſine principio neceſſitante,& termino neceſſitato , in quo ſubſiſtat principium neceſſitans,eo ipſo, quod ſit ſe,non ex virtute producentis , ſed ex energia propriæ naturæ. Equidem libro ſuperiore dixi plura de motu immanente , quem etiam denominavi eſſentialem. Verum hic motus,quem nunc eo demonſtratum, nulli entium competit,niſi enti nonfacto;entia enim facta ſunt ex vigore producentis: Ens verò non factum eſt ex neceſſitate ſuæ naturæ, quapropter volo examinare iſtum motum ſtudio peculiari.

Eſt porrò præſuppoſitum in hac inquiſitione, quòd hæc neceſſitas eſſendi non referatur ad ens, aliud ab ente præexiſtente: ſupponimus enim,ens quod non potuit non eſſe, eſſe ipſum ens præexiſtens.

Itaque neceſſitas eſſendi eſt neceſſitas eſſendi ſe, non ab alio, ſed à ſe.Quid igitur rei eſt hæc neceſſitas?

Sanè mihi accuratius eam cogitanti, & recolenti illa, quæ evidentiſſimè demonſtravi de ente præexiſtente , videtur eam nil aliud eſſe, quam ipſum eſſe,quaſi,ut amare eſt motus amantis, ſic eſſe ſit eſſentialis motus entis,ita ut id duntaxat,quod eſt,ſed non factum,ſit ens; ea verò,quæ ſunt,ſed facta,non ſint entia,ſed fientia; hunc ergò motum nuncupo eſſitionem,& quemadmodum productio eſt à producente,& ſubſiſtit in termino producto:ſic eſſitio eſt ab ente, & ſubſiſtit in termino,qui eſt.

Porrò ad majorem evidentiam hujus eſſitionis volo cogitare neceſſitatem eſſendi,velut ea non ſit eſſitio Præexiſtentis , ſuppono tamen,quod Præexiſtens non potuerit non eſſe , ſitque ex neceſſitate propriæ naturæ:hæc enim ſunt demonſtrata evidentiſſimè.

Animadverte autem hanc cogitationem delabi ad hanc quæſtionem.

Vtrum aliquid,quod ſit actu,ſed nec ſit à ſe,neque ab alio,ſit poſſibile?nam ens Præexiſtẽs ſupponitur eſſe actu:ſupponitur non eſſe ab alio:nunc verò cogitatur non eſſe à ſe.Quæritur ergò,an tale quid ſit poſſibile?

Cogitavi,Theophile,&,poſt moroſam cogitationem hujus monſtri,aut chimeræ,intelligo,quod Ens actu,quod nec ſit factum ab alio,neque ejus eſſe ſit eſſitio ſui,non poſſit eſſe principium ullius motus.Id ſic demonſtro.

Ens actu,non factum, cujus eſſe non eſt eſſitio,non eſt fœcundum ullius entitatis.Id autem,quod eſt principium motus, ſive immanentis,ſive tranſeuntis,neceſſariò eſt fœcundum alicujus entitatis.

 Ergò

Ergo Ens actu, non factum, cujus esse non est effitio, non est principium ullius motus, sive immanentis, sive transeuntis scilicet ens actu, non factum, cujus esse non est effitio, est planè immotivum.

Ens verò planè immotivum necessario est imperfectissimum omnium entium.

Ergo Ens actu, non factum, cujus esse non est effitio, est imperfectissimum omnium entium.

*E*t tamen demonstratum est, quod ens non factum, sit absolutè illimitatum; Itaque hoc ens implicat perfectionem summam, cum summa imperfectione: hæc verò implicantia est impossibilis: dicendum ergo quod Præexistens sit Ens à se.

CAPVT. V.

Præexistens est se à se.

ENs verò à se differt ab ente ab alio tantum, quantum esse differt à facere: seu quantum effitio differt à productione. Producens non est ens productum à se. Neque ens productum, est ens, à quo producitur.

At verò principium subsistens in termino suæ effitionis, non est ens, aliud à se, sed est se. terminus verò effitionis non est ab ente, alio à se, ita ut effitio, tametsi distinguat principium à termino, velut sint extrema motus realis, tamen hæc extrema non distinguuntur realiter à Præexistente: principium enim & terminus effitionis coincidũt in unam eandemque essentiam.

Nihilominus si effitio est, ut demonstratur motus realis, oportet explicare, quomodo hoc esse, sit motus, cujus terminus sit aliquid, quod non esset, si principium movens non moveret: alioquin effitio non esset motus realis, neque ejus extrema distinguerentur, & opponerentur realiter; quapropter sic ratiocinor.

Præexistens, ut est se, movet immanenter. Id verò, quod movet immanenter, necessario subsistit in termino, sibi coæquali & coessentiali.

*E*rgo Præexistens ut est se, subsistit in termino sibi coæquali & coessentiali.

Id autem, quod subsistit in termino sibi coæquali & coessentiali est impossibile, sit eminenter id, quod terminus, in quo subsistit, est formaliter.

Ergo

Ergò præexiſtens, ut eſt ſe, non eſt eminenter id, quod terminus, in quo ſubſiſtit, ſit formaliter.

Et tamen ſequens illatio eſt abſolutè neceſſaria.

Præexiſtens, eſt Ens ſe, per eſſitionē realem Id quod eſt Ens, ſe per eſſitionem realem, neceſſario ut principium eſt ſua eſſentia aliter, quā eſt ut terminus ſuæ eſſitionis Ergò præexiſtens ut principium eſt ſua eſſentia aliter, quàm eſt, ut terminus ſuæ eſſitionis.

Quæ igitur eſt unius & ejuſdē eſſentiæ differentia? Clara eſt, Theophile, ex demonſtratis. Principium non differt à termino, ut ens actu differt ab ente potentia, quandoquidem principiū non producit, ſed eſt; neq; differt à termino, ut ens eminens differt ab ente formali, ſiquidē eſſe, ſeu eſſitio eſt motus immanens, & tamen principium eſſitionis cogitatum, antequam ſubſiſtat in termino, non eſt nil entis, cū ſit principium movens, neq; eſt eo modo, quo eſt ſe, in termino eſſitionis, alioqui ex motu eſſitionis non reſultaret terminus, qui non eſſet, ſi movens non moveret.

Præexiſtens ergo, ut eſt principium Ens ſe eſt principium fœcundum ſui: ut verò eſt ſe, eſt ens natum, ſeu explicatum à ſe i, ut à principio fœcundo.

Cùm enim ſit ex demonſtratis impoſſibile, quod non ens moveat, non poteſt præexiſtens movere, ſi ponatur eſſe non ens. Cum, inquam, Id, quod eſt actu, non ſit mobile ad actum, quem eſt, aut habet, non poteſt præexiſtens eſſe per eſſitionem, ſi principium eſſitionis, cogitatum ante eſſitionem completam, ſit hoc expreſsè, quod deberet eſſe duntaxat in termino eſſitionis.

Porrò inter hæc duo extrema impoſſibilia, nullum eſt medium poſſibile, & intelligibile, quàm ens ſui fœcundum, Quapropter eſſentia præexiſtentis, ut eſt fœcunda, non eſt ſimpliciter eſſentia, communis termino eſſitionis, ſed eſt principium ens; Eadem verò eſſentia, ut nata, non eſt ſimpliciter eſſentia, communis principio, ſed eſt Ens natū, ſeu explicatum à principio fœcundo: ita ut præexiſtens ſit ens unum, ſit una eſſentia, una natura, quæ tamen, ut fœcunda, ſeu parturiens, differt à parta, ſeu nata per has ipſas habitudines reales & abſolutè incompoſſibiles, & non aliter: ſcilicet non differunt eſſentialiter, non accidentaliter, neque quomodolibet aliter, ſequor. Præexiſtens, ut eſt fœcundum ſui, eſt fœcundum entitatis abſolutè illimitatæ Id, quod eſt fœcundum entitatis abſolutæ illimitatæ, ne-

cessariò in termino essitionis est ens natum absolutè illimitatum.

Ergò Præexistens in termino suæ essitionis est ens natum absolutè illimitatum; Ens verò absolutè illimitatum, intelligitur esse id, quod non est impossibile esse eminentèr entis: si enim entis desit aliquid entitatis, quam potuisset esse eminentèr, id esset limitatum. Non definio hoc loco, quid entis sit possibile, aut impossibile: sed ex lege essendi, quam naturaliter suppono quamve naturalitèr consulo in omni mea ratiocinatione, inquiro, cujusmodi sit natura entis non facti, seu Præexistentis; Cum verò intellexerim entitatem ejus, & essendi fœcunditatem, esse absolutè illimitatam, Dico absolutam legem essendi expleri totaliter in Ente præexistente, ita ut illud principium sit fœcundum entitatis quam non sit impossibile esse eminenter.

Ens verò præexistens, ut ens se nil movet de potentia ad actum.

Movens verò successivè, necessariò movet aliquid de potentia ad actum.

Ergò Præexistens, ut Ens se, non movet successivè.

Scilicet, essitio Præexistentis non est successiva, sed tota simul seu perfecta.

Huic illationi accedit alia.

Præexistens, ut ens se, est principium movens.

Principium verò movens non exhauritur movendo.

Ergo Præexistens ut ens se non exhauritur essendo se scilicet,

Præexistens est inexhauribile principium essendi se.

Id, quod est inexhauribile principium essendi, se necessario est principium essitionis indeficientis.

Ergò Præexistens est principium essitionis indeficientis.

Scio exempla entium generantium transeunter, non tamen indeficienter, sed conclusio illata ponit indeficientiam motus, qui immaneat moventi, quem motum demonstravi esse essentiam moventis, ita ut ejusmodi motus nequeat deficere non deficiente essentia moventis.

Vtrum verò Præexistens, & consequenter ejus fœcunditas possit deficere aliter quam essendo, necdum planè demonstravi. Hanc ipsam inexhauribilitatem fœcunditatis infero alio argumento. Præexistens est ex necessitate suæ naturæ.

Id, quod est ex necessitate suæ naturæ est impossibile, quod essendo deficiat ab existentia.

Ergò Præexistens essendo non deficit ab existentia.

Ita-

Itaque per has demonstrationes effitio præexistentis est indeficiẽs, simul & perfecta: scilicet præexistens est indeficienter se, sic tamen est se indeficienter ut singulis momentis sit se perfectè.

Quoniam verò principium, eatenus fœcundum sui, est se indeficienter, & perfectè, oportet paulo clarius exponere, non tam argumentando, quam inspiciendo subtilius ejus effitionis indeficientiam & perfectionem.

Exordior hanc dilucidationem à consideratione motuum transeuntium indeficientium, & perfectorum, quatenus differunt ab aliis motibus deficientibus & successivis.

Ego proiicio lapidem, & desino proiicere, lapisq; desinit moveri. At verò luna movetur indeficienter, à movente indeficienter: Movetur tamen successivè, hoc est, tametsi moveatur indeficienter, non tamen movetur perfectè; moveretur quidem perfectè, si uno & eodẽ momento percurreret omnia & singula puncta Zodiaci.

Itaque proiiciens lapidem, movet illum, sed nec indeficienter, nec perfectè. Movens verò lunam, movet indeficienter, non tamen perfectè. Sol autem v. g. producit lumen productione indeficienti & perfecta: scilicet sol nunquam deficit producere lumen, ipsumq; singulis momentis producit perfectum, seu totum simul.

Quatenus verò intelligas, Theophile, quid sit indeficientia & perfectio productionis, expono illam hoc modo.

Sphæra luminis solaris multipliciter concipitur à subjecto mundo elementari; perpende autem, quot numero lumina, producta à sphæra luminis solaris, sibi appropriant partes corporum elementarium, in quas lumina producta multipliciter agunt. Si ergo sol produxisset sphæram sui luminis perfectam, non tamen produceret eam indeficientèr, sphæra luminis illius, eatenus semel duntaxat producta, vel non esset motiva Mundi elementaris: vel certè si moveret, movendo deficeret & exhauriretur. Verum quandoquidem sphæra lucis solaris producitur, non solum perfectè, sed & indeficienter, ea, quantumcunq; agat in mundum elementarem, non exhauritur agendo nec potest exhauriri.

Hæc porro lux inexhauribilis nullam habet proportionem cum luminibus, quæ producuntur, & multiplicantur in corporibus mundanis. Cogita, quot lumina producta sunt à sphæra luminis solaris à creatione ejus, usq; ad hanc diem, ac intellige nil luminis detractum fuisse luci solari, immò tametsi sol producat indeficiẽtèr sphæ-

ram sui luminis, quæ sempiternaliter fixetur & multiplicetur in subjectis corporibus, hæc tamen multitudo luminum, catenus productorum, licet cogitetur tota simul, non æquat fœcunditatem lucis solaris sese explicantis in sphæram luminosam indeficientem & perfectam. siquidem multitudo luminum productorum procedit à luce inexhauribiliter fœcunda; quandoquidem lux fœcunda est eminenter id, quod formaliter sunt lumina producta, sempiternaliter multiplicanda.

Hæc dixerim, quatenus assequare, quid sit prima fœcunditas essendi in Præexistente, quidve sit indeficientia essitionis ejus, nimirum, quemadmodum activum lucere solis est eminenter perfectius multitudine luminum productorum & producẽdorum sempiternaliter, sic essitio Præexistentis indeficiens & perfecta est perfectior essitionibus ejusdem entis numero infinitis, si essent possibiles.

CAPTT VI.

Præexistens repetit se.

Itaque Præexistens est se eminenter infinities.

Id verò, quod est se eminenter infinities, necessario est ex termino essitionis inexhauribile principium motus.

Ergo Præexistens est ex termino essitionis inexhauribile principium motus.

Id autem, quod est inexhauribile principium motus, movet immanenter, prius quàm moveat transeunter, Ergo Præexistens, movet ex termino suæ essitionis immanenter priusquam moveat transeunter.

Movens autẽ immanenter necessariò subsistit in termino sibi coæquali & coessentiali. Ergo Præexistens ex termino suæ essitionis subsistit in termino sibi coessentiali & coæquali.

Scilicet cum Præexistens in termino suæ essitionis: sit ens absolutè illimitatum, necessariò extermino essitionis movet & subsistit in termino absolutè illimitato Distinguo igitur, Theophile, in Præexistente duos motus immanentes, scilicet, Esse, & Movere, quod movere, debet significari proprio vocabulo, quatenus distinguatur à communi notione motus.

Equidem intelligo ex demonstratis differentiam essitionis à motu, cujus principium movet ex termino essitionis. at ignoro vocabulum,

lum, quod id congruè significet, quapropter exponerem, priusquam nuncupem illam.

Præexistens in termino suæ essitionis est natè id, quod principium essitionis est fœcundè.

Id autem, quod est natè id, quod principium essitionis est fœcundè, est impossibile, sit principium essitionis.

Ergo præexistens, ex termino suæ essitionis, non est principium essitionis.

Scilicet essitio est motus à fœcunditate ad nativitatem, hic uerò motus, cum non sit à fœcunditate ad nativitatem, siquidem tota fœcunditas explicatur in termino essitionis, est tamen ad terminum coæqualem & coessentialem principio, moventi ex termino essitionis, & quemadmodum tota fœcunditas principii explicatur in termino essitionis, sic tota natura termini essitionis, est in termino præfati motus, non tamen nata, seu explicata, multo minus est transeunter multiplicata, cum sit coessentialis moventi, sed est repetita.

Hæc porro repetitio distinguitur ab indeficientia, & à perfectione motus essentialis, immò, ut dixi, etiam aliqui motus transeuntes sunt indeficientes & perfecti: Nimirum indeficientia non constituit motũ specialẽ, sed est conditio motuum diversorum. Essitio est indeficiẽs & perfecta: Illuminatio est indeficiens & perfecta: sic & Repetitio est indeficiens & perfecta.

Itaq; præexistens est se indeficienter, & perfectè.

Id, quod est se indeficienter, & perfectè, necessariò repetit se indeficienter, & perfectè.

Ergo præexistens repetit se indeficienter, & perfectè.

Scilicet, si præexistens esset se, aut deficienter, aut imperfectè, necessariò se repeteret, aut deficienter, aut imperfectè: immò si non esset, se, neque repeteret se.

Haurimus aquam ex puteo, nec tamen aqua deficit puteo, siquidẽ alia aqua succedit in locum haustæ: sol producit lumina, quibus incalescunt aqua, & Terra, nec tamen deficit lux soli, non quia nova lux illi affluat, sed quia sol sit fœcundus lucis infinitæ. Non secus præexistens ex termino essitionis sese repetit perfectè, nec tamen definit sese repetere: siquidem præexistens est se infinities; at non esset se infinities, si principium essitionis ejus non esset infinitè fœcundum sui.

Porrò

Porrò cum repetitio distinguatur ratione extremorum, ab effitione, oportet præcisius considerare principium & terminum repetitionis, eorumq; oppositionem incompossibilem.

Sanè ex demonstratis constat quod nec principium, nec terminus effitionis quatenus sunt extrema effitionis sint aut principium, aut terminus repetitionis: siquidem oppositio, quæ sola distinguit extrema motus, non est inter entitatem extremorum motus, sed inter habitudines v.g. lumen productum à sole, non opponitur, soli, sed produci, opponitur ipsi producere. sic entitas principii Entis, non opponitur entitati termini, qui est, neq; entitas repetentis opponitur entitati termini repetiti, hæc enim non sunt entitates plures, sed una, & unica: opponuntur tamen habitudines: quapropter principium ens, ut opponitur termino, qui est, non est principium repetens: neq; terminus, qui est, ut opponitur principio enti, est terminus repetitus.

Tu verò, Theophile, sciscitaris, quodnam sit principium repetẽs? Id est obvium cogitanti supradicta; scilicet, Præexistens in termino suæ effitionis est ens à se, quod complectitur principium & terminum effitionis.

Præexistens porro se repetens, se repetit ex termino effitionis indeficientis & perfecti.

Id autem, quod se repetit ex termino effitionis indeficientis & perfecti, necessariò se repetit indeficientèr & perfectè: Ergò Præexistens se repetit indeficientèr, & perfectè.

Ens igitur à se est principium, quod sese repetit. Itaq; tametsi maximè, vellem, non quirem judicare secus, quam intuli: sed nihilominus differentia inter effitionem, & repetitionem est obscura: arcanum verò hujus repetitionis est multo obscurius. Has porro obscuritates inducit conditio effitionis, affirmatæ de Præexistente, quæ hoc loco abstrahit à præcisa natura ejusdem Præexistentis, si, Theophile, effitio Præexistentis subsisteret v.g. in luce, quasi lux fœcunda immanenter pareret lucem, de se luce, fortassis inde liceret conjicere, quomodo lux in termino suæ effitionis sese repetat, utve repetitio differt ab effitione; Verum sub illa abstractione cæcutimus: Quapropter volo mutuare aliquam claritatẽ ab objecto cognito, quod sit qualitercunq; simile Præexistenti, ut est se, & ut se repetit.

Cogita, Theophile, corpus sphæricum, cujus principium est centrum, & terminus est corpus sub convexa superficie: cẽtrum, inquam, fœcundum, sphæricitatis illius.

Porro

Porro hoc centrum refert aliquo modo principium, & ſphæra terminum eſſitionis Entis Præexiſtentis.

Hac verò ſimilitudine confirmatus cogita ſphæram eatenus explicatam, ſeſe movere in orbem, centro immoto, ita ut peracta una orbita, ſphæra redeat in ſeipſam, nec tamen ceſſet à motu, ſed ſeſe eatenus volvat in orbem indeficienter. Hæc igitur orbita datæ ſphæræ, eſt quædam repetitio ſphæræ evolutæ, ſeu natæ ex centro fœcundo, ac prægnanti. Igitur motum centri, ſeſe explicantis in ſphæram, diſcerne ab orbita ſphæræ in ſe ipſam, & animadverte conſpicuam differentiam horum duorum motuum, hinc verò internoſce qualitercunque eſſitionem Præexiſtentis ab ejus repetitione.

Immò cogita, quid ſpæra indeficienter eatenus mota, habeat præ alia ſphæra, quæ torpet immota: Mihi ſanè videtur, hanc eſſe velut inertem & mortuam: illam verò vivere: ſcilicet,

Præexiſtens per eſſitionem verò videtur vivere.

Igitur Præexiſtens in termino eſſitionis eſt, ex quo termino Vivens, in termino Vivitionis eſt Vivus, ſi tamen repetitio, ut videtur, eſt vivitio: ſeu vita.

Caput VII.

Præexiſtens ſe multiplicat.

Hinc verò infero alium motum de Præexiſtente.

Præexiſtens in termino repetitionis repetitur indeficienter & perfectè.

Id autem, quod in termino repetitionis repetitur indeficienter & perfectè, neceſſariò eſt ex termino repetitionis principium motus.

Ergò Præexiſtens eſt ex termino repetitionis principium motus.

Verùm quanta eſt evidentia hujus illationis, tanta eſt obſcuritas hujus motus: ſanè ſi repetere eſt ipſum vivere. Præexiſtentis, eſt vero ſimile, quòd Præexiſtens ex termino vitæ ſit principium motus tranſeuntis. Entium enim, quæ nobis ſunt familiaria, quædam ſunt, nec tamen vivunt, puta lapides; Alia ſunt & vivunt, non tamen moventtranſeunter; ejuſmodi ſunt vegetantia: animalia verò ſunt, vivunt & operantur.

Eſſe ergò, vivere, & Operari, ſic videntur coincidere in unam eminentem eſſentiam Entis non facti, ut tamen realiter & incompoſſibiliter

ter opponantur extrema illorum motuum, sine quibus illimitata energia Præexistentis sit inintelligibilis.

Has postremas conjecturas non numero inter demonstrationes; quapropter hoc loco ignoro, utrum illa repetitio sit vita Præexistentis, & tametsi certò sciam Præexistentem ex termino repetitionis esse principium motus, tamen ignoro hoc loco terminum in quo subsistat, scilicet, an immaneat Præexistenti, an verò transeat ab illo? Immò illata repetitio ex termino essitionis, si quam habet necessitatem, & evidentiam, eam sibi derivat ex evidenti distinctione inter esse & movere, quæ duo licet in ente non facto coincidant in unicam essentiam illimitatam, non tamen coincidunt extrema illorum motuum essentialium, sed distinguuntur realiter, & opponuntur incompossibiliter.

CAPUT VIII.

Præexistens creat mundum.

DEmonstravi ergo de Præexistente ex fitione negata, & ex essendi necessitate affirmata illa, quæ possunt inferri certò & evidenter, neque mihi occurrit alia major extremitas, quam inde oportunè possim demonstrare: quapropter hic hæreo, & perquiro ex concretis alium motum, affirmandum de Præexistente, qui clariusculè innuat naturam ejus, super quo instituam novum ratiocinium.

Considero itaque omnia entia, nobis per se nota, scilicet, æthera, astra, planetas, aerem, aquam, terram, mineralia, vegetantia, animalia, homines: hæc, inquam, considero subtitulo hujus. Mundi sensibilis, hic & nunc existentis: & pono hanc minorem certam, evidenter, & per se notam.

Hic mundus sensibilis componitur ex partibus, quarum quælibet ordinatur & movetur ad fines præcisos ac limitatos.

Id autem, quod componitur ex partibus, quarum quælibet ordinatur & movetur ad fines præcisos, ac limitatos, impossibile est, sit ens absolutè illimitatum.

Ergo hic Mundus sensibilis non est ens absolutè illimitatum.
Ens verò non factum necessario est ens absolutè illimitatum.
Ergo hic Mundus sensibilis non est Ens non factum scilicet.
Hic Mundus sensibilis est Ens factum.
Ens autem factum necessariò est factum à faciente non facto.

Ergo

Ergo hic mundus ſenſibilis eſt factus à faciente non facto.

En, Theophile, creationem mundi demonſtratam evidentiſſimè de Præexiſtente, ſuper qua inſtituo novam illationem.

Præexiſtens nunc immediatè producit partes hujus Mundi ſenſibilis indeficienter generantis alia entia.

Id, quod immediatè nunc producit partes hujus mundi ſenſibilis, indeficienter generantis alia entia, neceſſariò exiſtit indeficienter.

Ergo Præexiſtens, nunc indeficienter. Non tamen hoc ſyllogiſmo infero, quod Præexiſtens non poſſit deficere ab exiſtentia, ſed quòd non defecerit, ſiquidem hic mundus, nunc, non deficit ab activa generatione, & ab exiſtentia.

Quoniam verò Præexiſtens, producit mundum ſenſibilem.

Producens verò eſt eminenter id entis, quod Ens productum eſt formaliter.

Ergo Præexiſtens eſt eminenter id Entis, quod mundus ſenſibilis eſt formaliter.

Hoc loco, Theophile, repetere debes gradus entitatis, per ſe notos in hoc mundo ſenſibili, quos ordinavi in cognoſcimento, & animadvertere, quòd ens intellectivum occupat ſupremum locum, ſed cum imperfectione plurima: Nos enim movemur de potentia ad actum intelligendi, quem tamen non aſſequimur perfectum. Cùm autem demonſtraverim, Præexiſtentem eſſe eminenter id, quod mundus ſenſibilis eſt formaliter, illatio, quòd Præexiſtens ſit eminenter intelligens, eſt ultronea, & extra omnem formidinem erroris. At verò mentaliter concipere, quid ſit intellectio eminens, ex conſideratione noſtræ intellectionis, degradatæ ab illa eminentia, eſt diſquiſitio difficilior, minuſque clara, quàm ſit immediata intellectio entis, quod eminenter intelligat: quapropter ſiſto hoc ratiocinium, inchoatum ex productione mundi ſenſibilis, affirmata de Præexiſtente, inchoaturus tractatum de luce mentium, quem dudum promiſi: Ens enim eminenter intelligens, eſt Ens illud, quod nuncupavi lucem mentium, eſt, inquam, lux illa, nobis ignota, ſub cujus ratio ratiocinamur, quam eatenus ignotam, nominavi vigorem mentium.

Lux Mentium.

LIbro superiore propagavi, Theophile, Illationem de ente non facto: unde habes scientiã non exiguam de tanto subjecto, non tamen omnem illam, quam sperare licet sum ratiocinatus ex vigore mentis, sed tamdiu tenebresces, donec dirigas aciem mẽtis tuæ in ipsum vigorem, quatenus evadat tibi in lucem mentium. Sed noto defectus Illationis propagatæ, priusquam te convertam ad radium, tantoperè commendatum.

Deficit cum primis vigor nostræ mentis, & Ratiocinium inde propagatum in demonstranda unicitate entis non facti: si enim consulo argumenta deducta, aut ducibilia à posito medio radicali, non possum determinare, an existat unicus actus purus, aut plures: nam rationes dubitãdi offundunt oculo mentis eas tenebras, quas sola lux mentium, visa immediatè, queat eliminare. Cùm enim ens non factum sit independens ab omni alio ente, si unũ ejusmodi existat, id nõ videtur potuisse præpedire existentiã alterius entis non facti, quandoquidẽ hoc quoque intelligitur independens ab omni alio ente. Est ergò vel probabile, vel dubium, quod existant plures actus puri.

Scio argumenta, quæ passim adducuntur pro demonstranda unicitate actus puri, sed vel subeunt lucẽ mentium, à qua abstraho, vel inducũt probabilitatem duntaxat sine evidentia, & certitudine. Ejusmodi sunt, quæ ducuntur ab unitate mundi, quem subjiciunt actui puro, tanquã moventi immobili. Sed mens nostra pertæsa cujusvis obscuritatis, objicit vel pluralitatem mundorum, vel consensum multorum moventiũ unum, ac eundem mundum: quibus abjectionibus nemo potest sufficienter occurrere, nisi assummat argumenta ab intellecta luce mentiũ.

Hæc porrò ignorantia conturbat evidentiã, ac certitudinem earum demonstrationum, quibus concluderẽ, ens non factum non solùm extitisse ab æterno, & existere nunc, sed & non posse non existere. Non me latent rationes inductæ à Philosophis quæ licet urgeant, non tamẽ convincunt mentem, ignaram lucis mentium. Est quidem certum, ac evidens, Actũ purum non posse deficere ab existentia eo titulo, quod dependeat ab alio ente, aut sit suaptè essentia defectivus; tamen licet quærere; an essentia ejus sit defectiva ex actiua corruptione, intentata ab aliis entibus non factis. Posita enim multitudine entium non factorum, ignoramus ut se habent ad invicem, sub qua ignorantia plura nos latent.

Liceret

Liceret enarrare defectus plures his, sed vnum commemoro, qui reliquos inuoluit: hunc aperio exemplo congruo. Si velis formare imaginem viri absentis ex relatione aliorum, ea quantumcunque sit accuratè exquisita, & cogitata, erit longè diuersa ab illa, quam vir ille tibi præsens momento propagabit per oculos tuos in animum tuum. Tali imperfectione laborat scientia, tradita superiore ratiocinio de Ente præexistente: quapropter velim, supplex illi dicas: ostende mihi faciem tuam. Tùm verò imaginem, illatione formatam, discernes ab illa, quæ habetur ex visione qualitercunque intellectiua.

Equidem reuelavi illam in libro secundo Tractatus de per se notis, à capite decimo, usque ad decimũ septimũ, inclusiuè, & pronunciaui, Rationẽ Entis, qua Ens, esse lucem mentium, verùm non satis exposui, quid entis aut rei sit Ratio illa: hocce verò tractatu eo declaratum mysterium hoc, absconditum à seculo in mente humana: absconditum, inquam, si paucos excipias; reliqui enim tantum abest, ut eam discernant, quod & insultant asserenti illam. Tu verò, Theopnile, recense, & perpende studio ingenti enarrationem de luce mentium, supra allegatam, quatenus intelligas, quæ inde delibo hoc loco, & expono, expendoque accuratiùs.

Indicaturus ergo speciali acumine lucem mentium, præmitto ad exemplum, quomodo mediante luce sensibili videamus colorata.

Oculus licet sit sanus, constitutus in tenebris, nil potest videre, accedente autem luce videt, & discernit corpora colorata, nec facilè videns discerneret visionem suam à luce & corporibus visis, si non intercederet vicissitudo lucis & tenebrarum, qua posita nemo Hominum est tam rudis, qui non distinguat se videntem, à corpore viso, & lucem sensibilem ab utroque.

Totidem distinguere oportet in actuali intellectione cujuscunque Entis.

Mens est intellectiua:

Ens est intelligibile.

Lux mentium dat intelligere actualiter.

In hac porrò contemplatione debes capessere prima rudimenta à distinctione clara eorum, quæ lux mentium reuelat in obiectis, cognitis infra intellectionem.

Non tamen volo hoc loco hæc docere, multo minus volo exponere modum, quo mens nostra accenditur ab illa luce, sed duntaxat inde commemorabo tantum, quantum sufficiat indicandæ luci mentium.

Ea tamen quæ sum dicturus, sunt gradia, quæuè primo aspectu non videntur competere Rationi entis perfecti; Is enim, qui intelligit ens, qua Ens, nil esse non-entis, non videtur intelligere lucem grandem, eamque diuinam, & tamen illa ratio entis, qua Ens, est Lux Mentium.

Hanc ergo allucinationem submoueo exemplo lucis sensibilis.

Oculo constituto in tenebris est impossibile discernere v.g. solem à luna: atverò ad præsentiam lucis, ea visio, ac discretio non videtur operosa, immò est tàm facilis, quod, sublatà vicissitudine lucis & tenebrarum, vix deprehenderemus lucem, & vix animaduerteremus visionem esse actum nostrum, editum per oculos. Sic nos ad præsentiam lucis mentium, quæ est Ratio Actus puri, discernimus inter ens, & non-Ens, inter actum & potentiam, quæ intellectiones sunt impossibiles Brutis, quibus lux illa non lucet, quæ cum nobis non occidat, non facile deprehendimus illam: tametsi illustremur à luce æterna, & incommutabili.

Repeto itaque ex libro de mei conscientia, quod vivacissime, & evidentissimè experior, me distinguere entia ab invicem, eorumque habitudines, & notare defectus entitatis eorum entium, quæ nosco.

Noto, inquam, illum defectum præcisè, quem refert ens, ut præcisè cogitatur, v.g. cogito te, quatenus doceris à me, & noto, quod tuum doceri sit defectus tuæ mentis, quatenus ea est in potentia ad actum intelligibilem. Experior etiã, quod noto defectum istum per intellectam rationem mentis perfectæ: scilicet Mens perfecta actu intelligit omne intelligibile. Intelligo autem non aliquam mentem perfectam, quæ existat, sed rationem, cui respondere debeat mens illa, quæ sit perfecta, Hujus experimenti habes in libro de mei conscientia inductionem exaratam, videlicet.

Imperfectio mobilis indicatur ab opposita perfectione moventis.

Temporis à perfectione æternitatis.

Loci à perfectione vbiquitatis.

Corporis à perfectione spiritus.

Partis à perfectione Totius.

Compositi à Perfectione simplicis.

Potentiæ à Perfectione actus.

Non-Entis à perfectione Entis: & omnis reliqua imperfectio concipitur à perfectione opposita.

Lucet ergo meæ menti ratio entis perfecti. Lucet, inquam, non

Ens

Ens perfectum quod intelligam existere in rerum natura, sed lucet Ratio entis, instar cujus rationis sit Ens illud, quod sit à parte rei perfectum. Itaque pono hanc propositionem ut expertam mentaliter.

Ratio Entis perfecti in ente à nobis cogitato notat imperfectionem entitatis, per rationem perfectionis oppositæ. Experior quoque me judicare aliquas propositiones esse veras, quarum veritatem intelligo esse æternam, & incommutabilem, licet certo sciam me intelligere eas sub determinata differentia temporis: licet, inquam intelligam, eas veritates esse de subiecto nec æterno, nec incommutabili, puta hanc:

Id, quod movetur transeunter, necessariò mouetur ab alio.

Hoc mentale experimentum redigo ad hanc propositionem.

Ratio Entis perfecti se explicat in veritates, quas sub certa mensura loci & temporis, intelligo esse æternas & incommutabiles.

Experior propensionem meæ rationalis voluntatis, erga entia existentia esse proportionalem mensuræ entitatis eorundem entium: puta amo Brutum præ lapide, Rationale præ Bruto, Deum præ omnibus; quem amorem sentio excitari à Ratione Entis præfecti, quatenus sese explicat in propositiones æternæ & incommutabilis bonitatis; quas quatenus persentisco sub determinata differentia temporis, sic expono.

Valeriane amato Deum super omnia.

Ut verò eas intelligo esse bonitates æternas & incommutabiles, sic enuntio.

Deus est super omnia diligendus.

Ejusmodi enim propositiones non sunt veræ, sed sunt bonæ, nullatenus malæ.

Hoc mentale experimentum sic expono Ratio Entis perfecti se explicat in amores æternaliter & incommutabiliter bonos, à quibus Ego afficior sub certa mensura loci, & temporis.

Experior me deriuare à Ratione entis perfecti ea lumina æterna, & incommutabilia, quæ mihi constituto sub certa differentia temporis & loci, exponunt artes, secundum quas natura operatur, & alia agentia possunt operari, quas artes intelligo esse æternas, & incommutabiles, licet artificiata sive naturæ, sive alterius artificis, sint initiata, mutabilia, & corruptibilia. Recense ad exemplum, Canem formatum à natura, Rempublicam à Politico, Oecono-

Occonomiam à Patrefamilias, Virtutem moralem à viro bono, horologium ab Artifice, Doctrinas de numero, linea, superficie, & corpore traditas à Mathematico, & cætera ejusmodi, & distingue intelligere hæc à processione harum Artium à Ratione entis perfecti, & facilè concedes hanc propositionem, quam constituo velut mentaliter expertam.

Ratio Entis perfecti se explicat in artes æternas & incommutabiles, quas Ego sub determinata differentia loci ac temporis intelligo veras æternaliter & incommutabiliter.

Experior vivacissimè, quòd Ratio entis perfecti dat mihi dicere præcisè Entia cognita, infra intellectionem, iudicare de eorum habitudinibus, inferre occultas existentias & naturas, velle finem consultare de mediis, cognoscere & eligere congruentiora, & frui fine intento. Hæc autem perficio sub radio veritatum & bonitatum æternarum, & incommutabilium, à quibus certo loco ac tempore constitutus illuminor, excitorque ad amorem boni Hoc totum sic expono.

Ratio Entis perfecti per luces & bonitates æternas dat Homini sub aliqua differentia loci & temporis constituto vivere vitam intellectualem.

Mihi verò consideranti attentiùs hæc ipsa experimenta mentalia, quæ recenseo, animaduerto aliqua, quæ sunt digna commemoratione speciali.

Cum video oculis v. g. solem aut quomodolibet infra intellectionem cognosco Ens aliquod, ea cognitio est mihi suspecta erroris, si illi non subscribat lux mentium, v.g. Illationi syllogisticæ subscribit lux mentium, adigendo ratiocinantem ad judicandum conclusionem illatam esse veram, ne admittat ens aliquod simul esse, & non esse, bruta enim imaginantur citra ullam affimationem aut negationem.

Nos verò Rationales cùm v.g. judicamus, quod Petrus sit Petrus, censemus de Petro imaginato per lucem mentium. Unde judicium, quod Petrus sit Petrus est certum, & multo certius simplici imaginatione.

Hoc mentale experimentum sic expono. Ratio Entis perfecti sola nostram cognitionem dat esse certam & immutabilem. Si afficior voluptate aut molestia ab aliquo Ente, quomodolibet cognito, bonitas affectus excitati est mihi suspecta malitiæ si non subscribat Lux Mentium per propositiones seu radios æternæ & incommutabilis bonitatis. qui ipsi radii non admittuntur, velut immunes à formidine mali, nisi resol-

resolvantur in nudam Rationem entis perfecti: v. g. judica Deum esse diligendum super omnia: convictus his duabus propositionibus Deus est ens perfectius omnibus entibus.

Mensura amoris debet esse proportionalis mensuræ entitatis.

Priorem propositionem resolvo in lucem mentium eo modo, quē exposui. Posteriorem resolvo in sensionem intellectivam, quam Ego experior esse amativam entis pro mensura entitatis cum securitate tam certa & incommutabili, quam est certum & incommutabile judicium meum de veritate hujus.

Ens necessariò est ens.

Nimirum ut hæc veritas dictatur à Ratione entis, qua ens, sic illa sensio intellectiva, excitatur ab hac ipsa Ratione entis, qua ens, quæ catenus cogitata est bonum qua bonum. Itaque hæc propositio.

Ens qua ens nil est non entis.

Excandescit & accenditur in hanc.

Bonum qua Bonum nihil est non boni.

Hoc nobile experimentum mentale sic enuntio.

Ratio entis perfecti sola dat amare bonum cum securitate immutabili exclusæ malitiæ.

His verò eatenus enarratis, & expositis, volo distinguere accuratius illa, quæ concurrunt ad integritatem ejusmodi motuum mentalium.

Video Lunam illuminari, & pono hanc minorem.

Luna illuminatur.

Abstraho illuminationem passivam ab omni speciali corpore, & deprehendo per quod ens illuminatum necessariò illuminetur ab alio ente: Hinc illi minori adjungo hanc propositionem majorem.

Id, quod illuminatur, necessariò illuminatur ab alio.

Verùm hæc major est mihi suspecta quo ad usque illi subscribatur nuda Ratio entis perfecti, quapropter sic illam expendo, corpus illuminabile est in potentia ad lumen, ergo corpus illud non potest sese mutare de non lumine ad lumen: quia non-ens non potest facere ens. Nam ens est ens, & nequaquam ens est Non-ens, & consequenter Non-ens non est ens: Vnde Non-ens non potest producere ens, cum sit per se intelligibile, quod movens non solum sit ens actu, sed sit insuper turgens entitatis, quam exerit, salva propria entitate.

In hac ratiocinatione, sepono corpus lunare passivè illuminatū, & aliud corpus distinctum à luna, eam activè illuminans,

Sepono pariter dictamina veritatum , quas assumo in præfato ratiocinio, puta;

Id, quod illuminatur, necessariò illuminatur ab alio.

Id, quod non est, non potest esse Principium motus.

Id, quod est principium motus, est ens actu turgens entitatis, quam exerit per motum.

Sepono tertio loco Rationem Entis qua ens, velut Dictatricem ejusmodi veritatum.

Demum sepono meum dicere, judicare, & ratiocinari.

Corpora, illuminans & illuminabile, & cætera ejusmodi, assumpta in præfato ratiocinio, sive judicentur hic, & nunc existentia, sive cogitentur abstracta etiã ab existentia, nedũ à loco & tempore, sunt entia, quæ nec sunt, nec esse possunt nisi concreta ad specialẽ entitatis gradum, modum, locum, tempus, obnoxia mutationi & corruptioni.

Ego dicens, judicans & ratiocinans sum hoc aliquid Hominis , hic & nunc existentis, & eatenus, ut dixi, operantis.

Hoc experimentum expono duabus assertionibus.

Propositionum æternitas, & incommutabilitas non affirmatur de vocabulis, non de motibus imaginantis & intelligentis , non de illis entibus, quæ sunt subjecta & prædicata propositionum , quarum veritas censetur æterna.

Propositionum æternitas & incommutabilitas affirmatur de activo dictamine, veritatis & bonitatis earum propositionum.

Nimirum hoc activum lucere est id, quod intelligo esse æternum, & incommutabile: intelligo enim veritates illas nunquam fuisse aut posse esse falsas; & bonitates esse, & posse esse malas.

Nec tamen intelligo nudam lucem mentium , seu nudam Rationem actus puri, si dixero.

Ens necessariò est ens.

Vel si ratiocinando ostendam existere ens-non factum , quod sit se à se , se seque repetat immanenter , & multiplicet transeunter, sed nudum illud activum æternum & incommutabile lucere est ipsissima lux mentium. Vbi verò illud æternum lucere mente concipio , hic conceptus cadit intervallo infinito à puritate illius intellectualis lucere.

Experior enim, quod de luce mentiũ, eatenus vestita , dubitamus, inquirimus, ratiocinamur: at verò de luce mentium nuda est impossibile dubitare. Immò quæstiones motæ v.g. de ente non facto, de ente

præ-

præexiſtente, quæ entia ſunt lux mentium ſed indecenter amicta non ſolvuntur, niſi per lucem mentium nudam. Pono igitur hanc theſim velut expertam mentaliter.

Ratio actus puri, objecta menti noſtræ, veſtita noſtro conceptu mentali, non lucet ut æterna & incommutabilis. Plurimũ ergo intereſt veritatis Philoſophicæ noviſſe, quomodo lucẽ illã intelligimus nudã, nec tamen doctrina hæc eſt operoſa; paucis illã aperio, & facilè eã practicabis. Nemo mortalium naturaliter (meo judicio) cogitans activũ æternũ lucere, & amare ſeorſum à propoſitionibus æternæ veritatis, & bonitatis, illud intelliget nudũ ſed neceſſariò cogitabit contractum dictione, judicio, aut etiam ratiocinatione propria.

Is verò, qui directè judicat, propoſitionem aliquam eſſe aut verã, aut bonam æternaliter, & incõmutabiliter, cointelligit veritati & bonitati eatenus cognitæ & volitæ nudum activum illud æternum & incommutabile lucere & velle, quod tamen ubi ponatur ſeorſum intelligendum, fugit à facie mentis, & effingitur ejus loco chimæra, quam ſubiicimus nudæ luci mentium corrigendam.

V.G. ſi claro mentis oculo hanc propoſitionem.

Quicquid movetur tranſeunter, movetur ab alio;

Intelligas & judices, nec fuiſſe aut fore, nec potuiſſe eſſe falſam, cointelligis huic veritati lucere æternum, & incommutabile.

Verùm, ſi id eatenus cointellectum, ſeponas à terminis, & ab habitudine præfatę propoſitionis, quatenus illud contẽplere ſolitariũ, fugit à facie mentis tuæ, tali enim attentato, moliris opus impoſſibile. ſiquidẽ illud æternũ lucere & amare eſt unicum principium inprincipiatum, quo amamus & dicimus alia entia, judicamuſq; & ratiocinamur de eorundem habitudinibus; ſi quis conetur cultro ſcindere ipsũ cultrum, quo reliqua ſcinduntur, aggredietur opus ſimile illi, quo conamur intelligere directè ipſum principium, quo unico intelligimus reliqua omnia: illud enim principium ſe ipſo immediatè lucet naturæ intellectivæ, ſe ipſo immediatè mulcèt naturam amativam amore rationali: illa verò, quæ dicimus, de quibus judicamus, ratiocinamur, ſubiiciuntur principio, quo dicimus judicamus, ratiocinamur: quod principium eſt ſola lux mentium, nempe ſola Ratio actus puri eſt in intelligibilis à nobis aliter, quàm ut per illam intelligimus reliqua, quapropter pono duas propoſitiones, velut mentali experimento cognitas.

Nuda ratio actus puri eſt indicibilis, indijudicabilis, & in inferibilis.

Ratio actus puri cointelligitur nuda, cum judicamus aliquas propositiones esse veras & bonas æternaliter, & incommutabiliter.

Hæc porrò mentalia experimenta de luce Mentium, seu de Ratione entis perfecti non innuunt divinitatem ejus alia dignitate, quam per se notæ æternitatis & incommutabilitatis, quam volo considerare attentius, non tamen argumentando, sed inquirendo subtilius, motus meæ mentis.

Cum primis repeto, quod æternitas & incommutabilitas non tribuitur vocabulo, subjecto, aut prædicato, nec habitudini datæ propositionis æternæ, multo minus motibus nostræ mentis, sed duntaxat judicamus, quod activum dictare, seu lucere sit æternum & incommutabile.

Ego enim evidentissimè meum passivum illuminari, & meum activum intelligere distinguo ab activo lucere Rationis actus puri, quod duntaxat intelligo esse æternum & incommutabile.

Vbi verò aggredior secernere illud æternum activum lucere, à luce æternâ, velut ea distinguatur à suo lucere, eo ipso tenebresco, & lucem eatenus secretam à suo lucere, non intelligo æternam, ea enim non est lux mentium, sed chimera mentis cœcutientis.

Repeto pariter, quod dictator veritatum & bonitatum æternarum, & immutabilium sit Ratio entis perfecti, quæ enti cognito infra intellectionem opponit eam perfectionem, quam ens illud non habet.

Ea porrò æternitas & incommutabilitas lucet mihi dum intelligo datam propositionem veram nec esse, nec potuisse esse falsam, & datam propositionem bonam nec esse, nec potuisse esse malam.

Et licet sciam has veritates & bonitates posse ignorari, & non amari ab aliis, intelligo tamen earum veritatem & bonitatem esse independentem ab intelligente, & ab amante; non enim ideo sunt veræ, quia intelligantur, & ideo bonæ, quia amentur, sed ideo intelliguntur, quia sunt luces intelligibiles, & ideo amantur, quia sunt bonitates amabiles.

At, inquis, quid rei est illa incommutabilis æternitas? sumus, mi Theophile, in imo fundo nostræ mentis, conscii lucis mentium, ut ea est primum principium, quo intelligimus, quæ conscientia ad primum occursum Entium à nobis cogitatorum, corruscat, & fugacissimè dictat inter se, & entia à nobis cogitata, habitudines sublimes, & in intelligibiles illis, qui nequeunt sistere fugacissimas, & momenta-

neas illas corruſcationes: harum verò unam, quam ſtiti, ac conſideravi attentus, expono.

Vix datur mens eo uſque ſtolida, quæ non intelligat perfectionem quamcunque participatam per gradus à multis, neceſſariò eſſe eminenter collectam, non participativè, ſed eſſentialiter. Hoc commune dictamen Rationis, ruit à luce Mentium in Mentes noſtras, præcipitando illationes medias, unde infertur illa concluſio: ita ut illi, qui nequeunt ordinare eas illationes, perſentiſcant tamen vim illativam, & qualitercunque aſſentiuntur concluſioni præcipitanter illatæ.

Nimirum ens limitatum per eſt limitatum à limitante: Et in limitantibus ac limitatis neceſſariò perdatur limitans non limitatũ quod neceſſariò eſt hoc per eſſentiam, quod dat aliis eſſe defectivè, ut patet per v.g. diſcerno ad oculum plurima corpora cœleſtia, accenſa luce inextincta, & ſcio eam lucem, quæ ab aſtris participatur eſſe & lucere eminenter, nec tamen illam video oculo corporali, & vereor eam non eſſe eatenus viſibilem, neq; poſſum imaginando aſſequi, quid rei ſit lux illa, illimitata in ratione lucis.

Dum verò ad cogitationem entium hic & nunc exiſtentium corruſcat Ratio entis, qua ens, extaſim patior, ſi me infero contemplationi entis non participati.

Equidem intelligo, quod de ente, de quo negatur Fitio, affirmatur perfectio entitatis, oppoſita Fitioni, quam tamen perfectionem non poſſum ullo conceptu mentali circumſcribere, quapropter eam intelligo ſine intellectione.

Similem extaſim patior in ipſa viſione corporali: Videlicet aſſuetus videre luces concretas ad differentias colorum, contractas in materia, cum intueor lucem puram ac defecatam ab omni colore, exiſtimo me nil videre, tametſi videam lucem perfectiſſimam, expertem tamen omnis coloris, molis, figuræ, motus aut quietis.

His verò experimentis mentalibus pono hanc propoſitionem, velut vitaliter intellectivè notam.

Æternitas & incommutabilitas lucis mentium, eſt lucem mentium non eſſe factam, ſed eſſe à ſe.

Nil porro omnium, quæ mentem meam ſubeunt, eſt mihi tam vitale, quàm quod illud activum lucere ſe ipſo ſe mihi probet eſſe non factum.

Nimirum eſt mihi impoſſibile, judicare, aut ſuſpicari lucem illam, quæ mihi dictat v.g.

Actum præcedere potentiam ſibi oppoſitam potuiſſe non eſſe, aut poſſe extingui, vel quomodolibet aliter mutari: ita ut illa potuiſſet, aut poſſit non eſſe vera: aut alia non eſſe bona: vel certè Artes intelligibiles potuiſſe non eſſe, aut poſſe corrumpi, vel quomodolibet aliter mutari. Quoniam verò lux mentium micat, ſeu lucet illa entitatis perfectione, quæ opponitur imperfectioni entis cogitati, neceſſario tũ maximè lucet, cum illi opponimus imperfectionem entitatis maximam, nulla autem imperfectionum eſt major illa, quæ directè extingueret lucem mentium, ſi concedatur, quapropter exiſtimo profuturum, ſi poſt tot exarata experimenta mentalia, ſubjungam, aliquos noſtræ mentis conatus, extinctivos lucis mentium, ſi concedantur.

Itaque Aio integram entium collectionem eſſe factam, & conſequenter Actum non præcedere potentiam ſibi oppoſitam, nullumque dari Actum purum.

Verum mihi, ſic ſentienti obſtat axioma quod Non-ens non movet, quodve Ens movens per ſit ens actu, & turgens entitatis: quæ axiomata ſunt vera æternaliter, & indijudicabiliter: quæ veritates dictantur, non ab ente perfecto, quaſi illud exiſtat inter reliqua entia, ſed à ratione entis perfecti, quæ eſt illud ipſum dictare, ſeu lucere æternum, incommutabile, & indijudicabile.

Igitur ratio entis perfecti eliminat omnia, quæ, conceſſa, extinguerent ipſam lucem mentium. Imò neq; patitur ſe nudam, ſubiici quæſtioni, utrum ea exiſtat? nam in ſuperiore ratiocinatione intuli lucem mentium nullam eſſe, ſi verum ſit integram collectionem entium eſſe factã, quæ conſequentia eſt neceſſaria, conceſſo antecedente; eſt verò nulla, ſi nulla ſit lux mentium, quæ eo ipſo intelligitur eſſe, quod intelligam eam conſequentiam eſſe neceſſariam, tametſi illa conſequentia tollat lucem mentium, ſuppoſita veritate antecedentis.

Aio præteritis temporibus aliquando nil omniũ, quæ ſunt, ac fuerunt extitiſſe. Hoc pronuntiatũ ſi concedatur, extinguit lucẽ mentiũ ſiquidem ea, quæ nunc exiſtunt, fuiſſent mutata de non entitate ad actum exiſtendi à nullo, & conſequenter actus non præcedit potentiã ſibi oppoſitam, neq; exiſtit actus purus: quæ cõſequentiæ ſunt neceſſariæ per rationem actus puri, ſine qua nemo poteſt dicere, judicare & ratiocinari: ita ut lux mentium luceat vehementer etiam cum ex falſo antecedente infert neceſſariò nullitatem ſui.

Aio nunc eſſe actu eminenter id omne, quod non eſt impoſſibile

eſſe

esse entis. Hoc pronuntiatum si concedatur, extinguit lucem mentiũ; nam supponit ens aliquod posse esse, tametsi non præexistat actus sibi oppositus. Id enim, quod potest esse, ideo potest esse, quia existat ens potest mutare illud de potentia ad actũ. Hanc propositionem lux mentium damnat falsitatis iisdem rationibus, quas supra exposui.

Aio potentiam essendi non esse æternaliter, & incommutabiliter præcisè determinatã. Hoc pronuntiatũ, si cõcedatur, extinguit lucẽ mentium, nam supponit ens mutativũ entium à non entitate ad entitatẽ, nõ esse incõmutabile, seu non esse actum purũ, quã Doctrinã lux mentiũ convincit falsitatis iisdem argumentis, quæ supra exaravi.

Aio posse moveri quæstionem absolutè insolubilem.

Hoc pronuntiatũ, si concedatur, extinguit lucẽ mentiũ: Nã nulla datur quæstio, quæ non revocetur ad partes contradictionis, quarũ una necessariò est vera, & altera falsa, & consequenter nõ datur quæstio absolutè insolubilis, nisi sit falsũ, aut dubiũ, contradictoria posse esse simul, aut vera aut falsa, in quo casu Actus non præcederet potẽtiam, nullaq; esset lux mentiũ, quæ damnat hãc falsitatẽ, uti supra dictũ est. Hæc verò si non sufficiunt, adhibeo hoc experimentũ mentale. Perpende evidentiam & certitudinem tuã, dũ judicas axiomata ad universam Philosophiam, & Doctrinã de ente præexistente esse vera æternaliter & incommutabiliter: Illa autẽ certitudo & evidentia nulla est, si falsum sit lucere rationẽ actus puri: siquidẽ necessitas illationũ resolvitur in incommutabilitatem axiomatum, quæ resolvuntur non in actũ purũ, quasi existat hic & nunc, sed in rationem ejus, quæ si nõ sit, perit omnis necessitas illationũ, veritas propositionũ, præcisio dictionum, extinguiturq; mens simul cum omni intellectione.

Quapropter ratio actus puri, non est certa, aut evidens, sed est origo omnis certitudinis, & evidentiæ: quæ enim denominantur certa & evidentia, derivant sibi certitudinem & evidentiam à ratione actus puri, quã præsuponit omnis mens, velut se ipsa compertissimã, cujus nulla extiterit, aut existere possit dubitatio, vel obscuritas, nisi apud illos, qui per errorem cogitant aliud quippiam, quasi id sit ratio actus puri, de quo dubitant, & quærunt, quid sit?

Ergo nil entium, nilve omniũ, quæ quoquo modo possunt intelligi est, seu existit certius & evidentius ratione actus puri, quandoquidẽ ea sit supra omnem certitudinem & evidentiam, suaq; luce æterna & incõmutabili secernat nõ existẽtia ab existẽtibus, obscura ab evidẽtibus, dubia à certis, fonsq; & origo omnis veritatis. Hæc verò experi-

menta sufficiunt visuro rationem Actus puri: Verum si exoptes & illationem, formabo illam, eroque similis illi, qui, viso sole, argumentatur ejus existentiam ab activa illuminatione ejusdem solis. sic igitur argumentor.

Ratio Actus puri dat mihi dicere, judicare, ratiocinari, arbitrari, & velle, secundum normam propositionum æternæ veritatis, & bonitatis Id; quod dat mihi dicere, judicare, ratiocinari, arbitrari, & velle secundum normam propositionum æternæ veritatis, & bonitatis necessariò est æternaliter:

Ergo Ratio actus puri est æternaliter.

Minor est mihi per se nota: est enim meum experimentum mentale. Major resolvitur in hæc axiomata.

Non-entis nullus est motus ; cujusvis motus Principium est ens actu.

Hæc porrò demonstratio ingerit existentiam Rationis Actus puri luce exuberanti, si ea ducatur ex intellectionibus nostris præcisioribus, quarum ipsa sit Principium. Profero aliquas.

Contemplor seriem numerorum infinitam, ex consideratione unitatis sub radio lucis demonstratæ, &, nullo argumento ducto ab existentibus, cognosco illa, quæ, ad exemplum subjungo.

Numerorum sunt species infinitæ.

Numerus necessariò est vel par, vel impar.

Omnis numerus potest esse pars aliquota alterius numeri.

Numerus, comparatus alio numero, est vel illi æqualis, vel inæqualis.

Numerus continet alium numerum, vel semel, vel sæpius, idque vel simpliciter, vel insuper aliquam, aut aliquas ejus partes aliquotas.

Hinc emergunt differentiæ, & naturæ proportionum, ultra quas nulla sit inter numeros possibilis, aut intelligibilis.

Contemplor sub eadem luce propaginem dimensionum ex consideratione puncti. Punctum si moveatur, dat lineam longam : linea si transversim moveatur, dat superficiem latam. superficies si moveatur transversim, dat corpus profundum.

Linearum alia est recta, alia curua.

Curvarum alia est regularis, alia irregularis.

Regularium, alia est circularis, alia ovata, alia lenticularis &c.

Irregularium differentiæ sunt infinitæ.

Omitto

Omitto infinita, quæ ſub radio lucis demonſtratæ, nullo argumento ducto ab exiſtentibus traduntur de lineis, figuris, ac corporibus Mathematicis.

Is verò, cui elementa corporum naturalium ſic ſint nota, & comperta, ut imaginanti innoteſcunt vnitates, & puncta, perinde ex illis elementis eliciet rationes æternas v.g. Leonis, ficulneæ, Auri, ſmaragdi, & ſimilium, ac ſolemus ex cognita vnitate, ac puncto trahere rationes numerorum, proportionum, linearum, ſuperficierum, ac corporum, nullo argumento ducto ab exiſtentibus corporibus naturalibus.

Mihi ſanè aſſueto reſolvere non ſolùm omne meum intelligere, ſed & velle, totumque meum vivere intellectiuum in Rationem Entis puri, hæc Ratio lucet clarius, multoque certius, quàm oculo meo luceat ſol in meridie. Tantus ergo motus, qui ſuperet perfectionem omnium aliorum motuum, quive mihi influat certitudinem de exiſtentia, ac natura reliquorum, non erit potis inferre exiſtentiam Principij moventis? Vix vivit intellectivè, qui, monitus hac mea commonefactione, non poteſt mentem ſuam movere ad intuitum Lucis mentium, & cernere, quod æternaliter ſit, ſeu exiſtat:

Tu verò, mi Theophile, poſt tot experimenta etiamnùm quæritas, quid rei ſit Ratio Actus puri, quam nuncupavi lucem mentium? Cum enim rationes aliorum entiũ quorumcunque non ſint ipſa entia, puta rationem Leonis, quæ non eſt Leo: cùm, inquam ſæpius dixerim Actum purum, qui exiſtat, non eſſe lucem mentium, ſed Rationem ejus, ignoras, ſeu trepidas quicquam pronuntiare de illius entitate, ſed paucis te revoco ab hac hæſitatione.

Ratio Actus puri eſt actus purus.

Id verò quod tu cogitabas eſſe Actum purum inſtar Rationis præintellectæ non eſt Actus purus, ſed chimæra mentis cæcutientis. Nam ens aliquod eſſe inſtar Rationis, & eſſe factum, ſunt veluti lana caprina, & pili caprarum. Submotis autem hiſce chimæris, non dubito, quin cernas, claro mentis oculo, quod Ratio Entis perfecti ſit ipſiſſimum Ens perfectum, ſit, inquam, Mens fæcunda omnium rationum intelligibilium, vivenſque optimum, dans nobis actu vivere vitam intellectualem.

Rationes enim, quas nos intelligimus ſub determinata differentia temporis & loci ſunt Lucis mentium intellectiones æternæ & incommutabiles: & bonitates, à quibus afficimur ſub determinata differentia temporis ac loci, ſunt lucis mentium amores æterni, & incommutabiles.

biles. Itaque rationem Actus puri denomino æternam, incommutabilem, indicibilem, indijudicabilem, ininferibilem, præexistentem.

Rationem Actus puri nuncupo, Actum purum, Ens perfectum: Ens qua Ens. Ens non factum. Lucem Mentium.

Nulla porrò aut denominatio, aut nomenclatura enunciat ejus naturam significantius hoc vocabulo RATIO; significat enim etiam, hominibus vulgaribus id, quod quisque hominum consulit vel intellecturus, vel deliberaturus.

Id, inquam, ad quod prouocamus in omni quæstione de quacunque re, velut id sit Numen: Viuũ. quodque sine dolo, pronũtiat, vera duntaxat, & optima Eo autem titulo, quod Lux mentium, non intelligitur à nobis directè, sed supponitur in omni nostra intellectione, vt principium, quo dicimus, iudicamus, & ratiocinamur, eam denomino præsuppositam ab omni intelligente.

Quoniam verò intelligimus notitia intellectuali, prima, eaque vitali, quod Lux mentium sit illud Ens, quod denominavi præexistens, de quo demonstravi & existentiam, & quadamtenus naturam, distinguo demonstrata, ab his, quæ non potui demonstrare. Intuli Ens præexistens.

Non esse compositum.

Non dependens ab alio.

Non limitatum.

Non habens initium existendi.

Non potuisse non esse.

Hæc verò constituunt primam classem demonstratorum.

Altera complectitur tres motus demonstratos de eodem præexistente, nempe essitionem.

Repetitionem.

Multiplicationem.

Illa autem, quæ ex fitione negata non potui demonstrare, sufficienter reducuntur ad unicitatem, nam si ea sit dubia, dubia est & habitudo inter plura entia præexistentia, si existant plura, & consequenter superest aliqua hæsitatio de entium præexistentium incommutabilitate.

Verùm si ex luce mentium ostendatur vnicitas ejus, fatiscunt tenebræ illæ.

Mihi verò satagenti promovere te ad intellectionem lucis mentium incumbit demonstrata de Ente præexistente applicare luci mentium, velut ea sit principium intelligens, ac volens, quod conabor præstare libro

libro sequenti: At verò demonstratio vnicitatis entis præexistentis, debet claudere, seu terminare hunc tractatum.

Nec dubito, quin ad promissionem tantæ demonstrationis erigas mentem tuam, attentè inspecturus, quo apparatu aggrediar expugnare argumenta, quæ visa sunt obtenebrare unicitatem, & incommutabilitatem Præexistentis: sed mox ridebis formidinem, & cæcitatem nostræ mentis, dum unico nutu oculi mentalis euadit ab illis tenebris ad lucem quæsitam, & exoptatam.

Dic mihi, Theophile, si existant plura entia præexistentia, seu plures luces mentium, nonne est aliqua ratio æterna, eaque incommutabilis, instar cujus sint plura illa entia præexistentia, illæ in quà plures luces Mentium? cur ergo non animadvertis, solam unicamque Lucem mentium esse præexistentem, & planè incommutabilem? Hæc non patitur se subijci vlli intelligenti, sed necessariò supponitur, velut se ipsa lucens æternaliter, & incommutabiliter, nec una, nec plures, sed eminentissimè Unica, & eminentissimè plures cum infinitate.



ADMIRANDA DE VACVO & Aristotelis philosophia à Valeriano Magno exhibita.

LECTORI

Bibliopola cum velit recudere nonnulla mea opuscula de possibilitate vacui, & philosophia Aristotelis, petijt, an occurrat mihi aliquid addendum, aut immutandum, Ego verò præter ordinem, quem constituì inter opuscula, nil muto, & addo duntaxat quæstionem vnam, quam præmitto: Extant vero alio, observata acuratißimè ab alijs, præcipuè in Gallia, & plurima à me de hac quæstioue dicenda, verum illa rescire potes è libris eade re impreßis, hæc verò sibi reseruat mea Philosophia. Vale. scribebam Coloniæ 22. Feb; Anno 1652.

QVÆSTIO.

Vtrum lumen productum in vacuo detrahat creationem Deo, & miracula Sanctißimo Eucharistiæ Sacramento?



DIxi quòd in aliqua parte tubi vitrei, vacua ab omni corpore, & consequenter ab omni materia, lumen producatur ex nullo subjecto: Hinc dubitatum à nonnullis, utrum hæc assertio detrahat Deo creationem, & miracula SS. Eucharistiæ Sacramento? siquidem solus Deus possit producere aliquid ex nihilo, & quantitas continua non possit, citra miraculum separari à corpore, quæ tamen quantitas est visibilis in illa parte tubi vitrei, quæ est illuminata, & ponitur vacua ab omni corpore & consequenter ab omni materia: His duabus difficultatibus sic satisfactio.

Peripatus docet, substantias generari ex subjecta materia prima, concreta verò accidentium ex subjecto corpore naturali. Tamen ex eorum sententia forma essentialis non generatur ex materia prima, puta animam leonis, sed generatur leo: Neque forma accidentalis producitur ex subjecto corpore naturali, puta calorem ex ligno, sed lignum non calidum fit calidum. Aristoteles enim 2. meta. tex. 32. sic dicit. Non enim fit qualitas, sed quale lignum; nec quantitas, sed quantum lignum, aut animal. Verum non potest generari Leo, quin forma Leonis, quæ ante generationem non est, fiat. Neq; potest calefieri lignum, quin calor qui non erat ante calefactionem, fiat.

Est porro per se notum, quod id, quod fit, fiat ex nihilo sui: si enim præexistit, jam non fit, sed est; sin verò non est, fit ex nihilo sui. Sanè entia, quæ fiunt per compositionem partium, fiunt ex præsuppositis partibus, tandem quæ, necessariò vel sunt ab æterno, vel sunt factæ ex nihilo sui.

Equidem scio Peripatum evadere hanc consequentiam dicendo, quod terminus generationis per se, sit substantia, composita ex materia & forma, quæ forma dum substantia educitur de potentia materiæ, simul congeneratur per accidens, sic & terminus alterationis per se,

est v. g. lignum calidum, qui calor, dum lignum calefit, per se, producitur per accidens.

Ego verò non sum sollicitus cognoscere, quo titulo productiones formarum essentialium, & accidentalium dicantur obvenire per accidens; sed ajo mutationem illarum formarum à non entitate, ad entitatem actualem, necessario fieri ab aliquo principio efficiente, quod producat Ens de mera non entitate ad actum essendi, non ex subjecta materia, aut corpore naturali, sed ex propria fœcunditate. Quod enim ens aliquod possit fieri, ex nulla materia præexistente, neque ex fœcunditate producentis, est absolutè impossibile, & inintelligibile. Nam nihil fit à nihilo.

Id, quod fit, fit ex nihilo sui.

Id verò, quod facit, facit ex propriæ naturæ fæcunditate. Imò vel nullum principium motus est creabile à Deo, vel illud est ex propria fæcunditate productivum alicujus rei ex nihilo ejus. Hisce suppositis sic argumentor.

Producens non habet virtutem productivam à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam.

Producens verò dependens in sua productione à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam, necessariò habet virtutem productivam à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam.

Ergo producens non est dependens in sua productione à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam.

Producens verò, independens in sua productione à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam, necessariò potest producere aliquid, cujus existentia non dependeat à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam.

Ergo producens potest producere aliquid, cujus existentia non dependeat à subjecto, quod est in potentia ad formam producendam.

Sanè producentia naturalia producunt formas in subjecta corpora, neque ulla est deprehensa non existens in aliquo corpore: at verò hinc non sequitur, eam formam produci dependenter à corpore, cui inest, multo minus conservari in esse ab illo, cujus rei experimentum non facilè potest haberi, si non detur locus, vacuus ab omni corpore naturali.

Itaque in data partet tubi vitrei, vacua ab omni corpore naturali, cerni-

cernimus ad oculum lumen in loco vacuo, productum à lucente, subsistens sine subjecto, cui inhæreat. sed jugiter procedens ab ipso lucente: quapropter negamus productionem ex nihilo subjecti convenire soli Deo; cui tamen soli convenit producere independenter à causa superiori.

At, inquis, lumen in Vacuo est longum, latum, & profundum, quæ dimensiones conservantur sine subjecto corpore, & consequenter species quantitatis, sub quibus in Sanctissimo Sacramento est corpus Christi, manent separatæ à corpore sine ullo miraculo. Id verò est contra communem sententiam omnium Catholicorum.

Respondeo; Est communis sententia omnium Catholicorum, quod duo & tria constituant quinarium, nec tamen id est certum de fide. Est communis sententia omnium Catholicorum, quod corpus & sanguis Christi sit sub accidentibus panis & vini, quæ maneant sine subjecto, & qui secus sentiat, peccat contra fidem. Id enim Ecclesia definivit. Est communis sententia omnium Catholicorum, quod sit naturaliter impossibile accidentia subsistere sine subjecto, non tamen quia id definierit Ecclesia, sed quod Philosophi sic sentiant, & doceant: quapropter si ea Philosophorum sententia dignoscatur falsa, non peccamus contra fidem negando illam subsistentiam fieri per miraculum.

Hæc enim miracula inferuntur theologicè ex una propositione de fide, & altera demonstrata Physicè, quæ si sit falsa, conclusio est falsa.

Non tamen assero subsistentiam accidentium sine subjecto, in Sanctissimo Sacramento non esse miraculosam. Distinguo enim verbi gratia lumen in vacuo, à lumine recepto in aliquo corpore. Lumen in vacuo non vitiatur, ab ulla qualitate corporis, siquidem nulli corpori inhæret. At verò lumen receptum in dato corpore fit simillimum illi, puta lumen productum à tua facie in speculum, est simillimum tuæ faciei.

Nimirum, lumen receptum in pane & vino, afficitur ante consecrationem colore, figura, & molis quantitate ipsius panis & vini; post consecrationem verò, deficiente substantia panis & vini, manet illud ipsum lumen, simillimum pani & vino, nullique alii corpori inhærens.

Si in parte tubi vitrei vacua ponatur panis , & lumen producatur in illo, Lux inhærens pani afficitur mole , figura & colore ipsius panis, ita ut ad oculum discernatur illa lux à reliqua quæ lucet ex parte tubi, vacua ab omni corpore. Verùm, si Deus annihilaret substantiam panis, non annihilata luce, quæ illi inerat, ea , in præsentia lucentis, maneret sine miraculo, sed defecata à vitiis contractis in corpore panis, scilicet lux illa non referret molem , figuram , & colorem panis : neque sine miraculo , posset lux illa conservare, sine subjecto pane , speciem molis, figuræ & coloris ejusdem panis.

Hisce verò obiter explicaverim , quod mea sententia de lumine in Vacuo non detrahat Deo creationem, nec SS Sacramento miracula. Omnia vero sunto subjecta censuræ Ecclesiastice.



DE-

DEMONSTRATIO OCULARIS

Loci sine locato:
Corporis successivè moti in vacuo:
Luminis nulli corpori inhærentis.

SERENISS: PRINCIPIBUS

ULADISLAO IV.
REGI,
ET
LUDOVICÆ MARIÆ
REGINAE

Poloniæ & Sueciæ, Magnis Ducibus Lithuaniæ, &c.

REX in æternum vive.



EDidi tractatum de LUCE Mentium, sub cujus radio non adeò multi exultant, cæteris cæcutientibus ex intuitu tanti fulgoris. Spem feci Philosophiæ veræ, propagandæ ex illo Dogmate, cujus dum aliquod initium fervet sub prælo, me incessit formido ingens severioris censuræ à Peripatu, stipato ingenti satellitio Theologorum: quapropter cœpi mecum ipse cogitare, si qua luce sensibili (quandoquidem illa mentium putatur inaccessibilis) quirem damnare falsitatis prima elementa philosophiæ peripateticæ, quæ, me spectante, damnantur à LUCE Mentium, quatenus ipse Peripatus ferret meam Philosophiam, si non molliusculè, minus tamen acerbè. Successit cogitationi inventum præclarum, minax in Aristotelem, dignum Regià consideratione, & admiratione, quod nimirum, à sæculo non sit, non ausim dicere, cognitum, sed publicè exhibi-

exhibitum. Facti historiã præmitto, antequam exinde censeam de primis principiis philosophiæ Aristotelicæ: exordior tamen à declaratione, sine qua non satis intelligitur quid sit Vacuum, quive sit status quæstionis de possibilitate Vacui, demonstrandi ad oculum.

Quid sit Vacuum.

CОrpora præcipua mundi elementaris, exposita omnium oculis, ac sensibus, sunt Terra, Aqua, & Aer: sphæram ignis non vidi: ex quibus generantur pleraque alia, minima tamen, respectivè ad præfata. Ejusmodi sunt lapides, metalla, præter Vegetabilia, & Animalia. Partes terræ continuantur invicem, & violenter avulsæ, cessante illa vi, repetunt suum totum, & coalescunt in unam sphæram. Eadem natura est Aquæ, & Aeri, unde habemus sphæras Terræ, Aquarum, & Aeris, quas nemo non videt, qui tamen vidit congregationem aquarum, quæ nuncupatur Mare; Inest ergo singulis elementis quædam virtus, collectiva partium in unam molem sphæricam, quam virtutem Philosophi nominant Gravitatem, & Levitatem: Ego verò eam denomino Continuativam, quæ alia est in Terra, alia in Aqua, alia in Aere, siquidem unaquæque continuat proprias partes suo Toti. Porrò hæ tres sphæræ occupant in mundo ea loca, quæ cernimus, nimirum, Terra infimum, Aer supremum, Aqua medium.

Præter has virtutes continuativas animadvertimus, existere aliam, effectivam, & conservativam contiguitatis sphærarum Terræ, Aquæ, & Aeris, aliorumque corporum mixtorum, secundùm proportionem elementi prædominantis: quam virtutem denomino Contiguativam. Hæc est illud agens naturale, quod prohibet, locum esse vacuum ab omni corpore, quatenus partes, integrantes mundum, & minutiores quæque contiguentur in unicam molem, quæ nuncupatur Universum.

Demum inhæret stellis, & præcipuè Soli, virtus, discontinuativa partium Terræ, & Aquarum: Aeris verò (ad minimum) rarefactiva: tametsi virtutes continuativæ illorum elementorum, nactæ opportunitatem recessus stellarum, repetant partes, sibi per vim extortas.

Partes Terræ, eatenùs extortæ errant per aera sub nomine Exhalationis; Aquarum verò sub titulo Vaporis: Hæ recidunt in rorem, pruinam, nives, grandinem, & pluviam: Illæ sæpiùs accensæ coruscant, tonant,

tonant, & condensantur in fulmina, semperque miscentur aquis, quomodolibet decidentibus, ac recurrentibus ad suum Totum, scilicet ad Mare. Tria (inquam) corpora simplicia eatenus discontinuantur à luce stellarum, sive sint in propria sphæra, sive in corporibus mixtis. Hanc virtutem stellarum denomino Discontinuativam; Contiguativa verò aggreditur virtutem continuativam præfatorum corporum tanto impetu, & virium suarum jactantia, ut credatur invincibilis à virtute continuativa: nam si qua potentia aggrediatur discontiguare, v.g. Aquas ab Aere, nullo inter discontiguata corpora interjecto corpore, virtus contiguativa cogit vel aquas ascendere, vel Aerem descendere, idque efficit cum tanta violentia, ut sit multorum opinio, hanc virtutem deducturum partem cœli, si alia desit, quam suggerat ad evitandam eam discontiguationem, quæ relinquat locum sine corpore locato.

Est ergò communis philosophorum sententia, auctore, inter alios, Aristotele, locum sine locato esse impossibilem. Mihi verò hæc opinio fuit semper suspecta, tùm quòd asserta nullitas proportionis inter virtutem contiguativam, & continuativam non consonat concordiæ naturali partium mundi elementaris, invicem alioquin diffidentium: tùm etiam quòd necessitas suggerendi partes elementorum subtilissimas ad replenda vacua exilia, quæ non possunt non evenire à virtute discontinuativa, sit præcipuum fundamentũ mixtionis elementorum, sine qua non est possibilis generatio corporum sublunarium. Tamen non sum ausus (ea est communis sententiæ auctoritas apud me) deferre his argumentis, ni habeant testimonium à sensu.

Inquiritur argumentum sensibile pro solvenda Quæstione de possibilitate Vacui.

HAud dubium, quin concursus virtutum illarum in descensu aquarum usque ad centrum Terræ, & in ascensu fluctuum maris, agitati per maxima volumina partium aeris à spiritu ventorum, fiant iis motibus, qui dirimerent quæstionem de possibilitate vacui, si essent à nobis considerabiles ad oculum. At nos non volamus per æthera, nec penetramus viscera terræ, sed gradimur in ejus superficie; quapropter adduxi in considerationem proportionem gravitatis inter corpora, quæ suapte natura sunt liquida, quibus replerem vas aliquod, secundum methodum paulò infra exponendam.

Comparavi ergo gravitatem argenti vivi, ſcilicet, mercurii, cum aqua, & deprehendi id eſſe circiter duodecuplo gravius aqua. Hac habita proportione, ſic mecum ipſe ratiocinabar. Si fiſtulam quantùmlibet longam, alterâ extremitatum clausâ, replevero liquenti corpore gravi, ſitque virtus contiguativa invincibilis à continuativa, quæ in hoc caſu nuncupatur Gravitas; & fiſtula erigatur ſuper planum Orizontis, orificio inferno hiante, ſeu aperto, non defluet aqua, neque mercurius, ne detur vacuum in ſuperiore parte fiſtulæ. Sin autem virtus contiguativa nequeat ſuſpendere, niſi determinatum pondus aquarum, aut mercurii, neceſſariò id aquæ, aut mercurii deſcendet per fiſtulam, quòd nequit ſuſpendi a virtute contiguante: in quo caſu, vel dabitur vacuum in fiſtula, vel fiſtula frangetur.

Porrò ex opuſculo quodam Galilæi de Galilæis cognoveram, quòd per mechanica inſtrumenta non ſit poſſibile aquam elevari in fiſtula, ſeu canali vltra octodecim ulnas, quapropter intellexi, nec poſſe ab eadem virtute contiguante elevari mercurium uſque ad ſecundam ulnam, ob exceſſum ejus gravitatis ſuper gravitatem aquæ: quapropter me inceſſit ingens cupido parandæ ejuſmodi fiſtulæ ex vitro, quatenùs ad oculum dirimerem quæſtionem celeberrimam, diſputatam à mundo condito. Feci, & vidi oculis meis.

Locum ſine locato,
Corpus motum ſucceſſivè in vacuo:
Lumen nulli corpori inhærens.

Facti hiſtoria.

PRocuravi fiſtulam vitream, longam ultra cubitos duos, cujus canalis commodè excipiat piſum: craſſities vitri eſt tanta, quanta eſt grani frumentacei. Unum ejus orificium occluſi ſigillo Hermetis, ſcilicet, vitro liquenti. Hanc fiſtulam implevi argento vivo, cujus orificium patens obturavi digito, vehementer applicato, ſuper quo orificio, eatenus obturato, erexi fiſtulam, quam immerſi argento vivo, indito vaſi congruo, quod vas erat pariter immerſum vaſi, repleto aquis, ita ut aquæ eminerent ſupra argentum vivum digitis quatuor.

Hunc proceſſum ter repetii, hec tamen eodem modo perfeci, quòd cœperam. Primâ vice reſeravi orificium infernum fiſtulâ erectâ, ac merſâ mercurio. Secundâ vice, reſeravi illud ipſum orificium

fiſtule

fiſtula erecta, & merſa aquis. Tertia vice, reſeravi fiſtulam, eodem modo extra mercurium, & aquas in liberrimo aere: quid viderim oculis meis, excipe SERENISSIME, & admirare impenſius.

De obturato orificio infimo, fiſtulà erectà & merſa mercurio, is eodem momento, ſuopte pondere præcipitatur per canalem fiſtulæ, ſalitque iterum, ac deſilit, & poſt nonnullas eiuſmodi vibrationes, inferior pars fiſtulæ, longior cubito vno, viſitur plena mercurio, ſuperiorùe cernitur vacua ab omni corpore: nam oculis nil aquæ in illa parte cernitur. Aer verò non potuit ſubire aquas, & mercurium, & ſurſum penetrare fiſtulam: quapropter pars ſuperior fiſtulæ, eſt locus ſine locato, qui erat demonſtrandus.

Quid opponis Stagirita? Aer, (inquit) vacui euitandi gratia, penetravit poros vitri vſque ad ejus cavitatem; At ego: Cur Aer eatenus actus non occupavit totam fiſtulam? Fortaſſis reſpondetur, virtutem contiguativam ſupplevisse partes fiſtulæ, ijs corporibus, quæ facilius poterat intrò vrgere, ſcilicet, mercurio inferiores, aere ſuperiores. Fateor, hæc adduci non inuetecundè, oculis non diſtinguentibus inter aerem, & nihilum aeris.

Verùm hæc quæſtio, futura alioquin æterna, dirimitur ad oculum, ſi amoveas digitum ab orificio inferno fiſtulæ erectæ, & mercurio repletæ, extractæ à mercurio, dum eius pars infima mergitur aquis: nam eodem momento aquæ magno impetu aſſurgunt per canalem fiſtulæ, pelluntque mercurium vſque ad ſummitatem, quo deorſum labente, aliæ aquæ ſurſum vibratæ, iterum ſurſum pellunt partem aliquam mercurij deſcendentis: ita vt, non ſine tumultu, poſt notabile ſpatium temporis, tota fiſtula conſpiciatur plena aquis, quæ non potuiſſent illa ſpatia replere, ſi fuiſſet occupata ab aere quomodolibet introducto. Adjungo Naturæ diſcretionem: Vix eſt poſſibile fundere intrò fiſtulam, mercurium, quin admoto, vti ſupra, digito, qui claudat ejus orificium, intercipiatur aliquid aeris, quem natura, per repletam fiſtulam aquis ſecernit ab aqua, viſibilem inſtar perlæ lucidioris, movetque ſurſum ab imo fundo toties quoties libuerit invertere Fiſtulam: ita ut, oculo teſte, nil aeris fuerit in vacua parte Fiſtulæ, præter eam particulam, quæ viſitur. Eſtne SERENISEIME reſiduum negandi, aut ambigendi argumentum? vix puto. Convicta (inquit Auguſtinus alià occaſione) erant omnia argumenta, ſola reſtabat muta trepidatio.

Denique admoueo aerem replendæ fiſtulæ, vacanti ab omni corpore, poſt adhibitas aquas, & mercurium fortaſſis aer ſua levitate ſaliet

ad partes fistulæ supremas majore, ac sensibiliore impetu, quàm sursum mota fuerit aqua, suaptè natura gravis, & mercurius gravissimus omnium corporum post aurum. Factum est, & defluente mercurio ponderosissimo, aer sese fistulæ per orificium insinuavit impetu penè incredibili, & cum sonitu illisit vitro, obturanti orificium supernum, cõcussa fistula, & penè de meis manibus excussa sursum, ita ut & aure, & tactu, nedũ oculo, senserim violentiam virtutis contiguantis in repletione vacui præexistentis. Ergo fistula vitrea maiore sui parte fuit vacua ab omni corpore: Ergo mercurius, Aqua, & Aer movebantur successive in vacuo: Quæ erant demonstranda ocularitet. Transilio plurima digna stupore.

Superest demonstrare, pariter ad oculum lumen, quod subsistat sine ullo corpore: cujus demonstrationis gratia præmitto nonnulla, posita extra omnem disputationem.

1. Oculus nil videt sine lumine.

2. Videns, qui intendat aciem oculorum in tenebras, putat, se videre nigredinem summam; nam vmbræ semper nigrescunt.

3. Oculus non potest uno intuitu videre omnes partes superficiei corporis opaci.

4. Oculus potest videre uno intuitu superficiem totam, totamque profunditatem corporis diaphani.

Hisce suppositis sic argumentor. Si canalis fistulæ vitreæ sit vacuus non solum ab omni corpore, sed & à lumine nõ posset per primã propositionem videri, nisi eo modo, quo videmus tenebras, seu vmbras: scilicet, per secundam propositionem, videremus canalem, velut sit cylinder nigerrimus.

Si canalis fistulæ sit vacuus non solùm ab omni corpore, sed & ab omni lumine, is, qui videt fistulam anteriore sui parte, non potest per primam propositionem, videre posteriorem, obstante, per secundam propositionem, cylindro nigerrimo.

Si canalis fistulæ sit vacuus non solùm ab omni corpore, sed & à lumine, videns non potest, per propositiones præfatas videre coloratũ, positum è regione oculi, post fistulam; tametsi hæc sit vitrea, seu diaphana obstante cylindro nigerrimo, perinde ac si corpus opacum impleret canalem fistulæ.

At in fistula vacua nullæ occurrunt tenebræ: nullus visitur cylinder nigerrimus, sed omnia conspicua sunt, & partes fistulæ, & qualiacunq; posita post fistulam. Ergo in spatio vacuo ab omni corpore fuit lumen,

men, nulli corpori inhærens. Quod erat demonſtrandum ad oculum; nimirum, adjuncto oculo mentis, quo carent equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.

Locus ſine corpore quomodo nocet Ariſtoteli.

HÆc retulerim hiſtoricè de hoc præclaro experimento, ex quo obiter intulerim.

Locum ſine locato,

Corpus ſucceſsiuè motum in vacuo,

Lumen nulli corpori inhærens:

quæ tria libet admovere philoſophiæ Ariſtotelicæ, quatenus cognoſcam, utrùm conſentiant cum communi doctrina Peripatus. Equidem ſcio ea diſſentire: ſentit enim philoſophus ille. Locum ſine locato; Corpus ſucceſſiùe motum in vacuo; Lumen exiſtens ſine ſubjecto corpore, eſſe impoſſibilia. Quoniam verò hæc demonſtrantur ad oculum actu exiſtentia, volo obiter inquirere, quam ruinā fabricæ Ariſtotelicæ tres illæ impoſſibilitates ſecum vehant, ſi amoveantur à ſtructura peripatus. Exordior à loco ſine locato, quem cenſet impoſsibilem, eo præcipuè argumento, quòd is implicet impoſsibilem penetrationem dimenſionum, ſecundū longitudinem, latitudinem, & profunditatem: ſupponit enim, corpora non poſſe ſeſe penetrare, quæ impenetrabilitas proveniat non à materia, non à forma, non à qualitate corporis naturalis, ſed à præfatis dimenſionibus. Nam Aer v.g rarefactus acquirit nouam longitudinem, nullâ factâ mutatione circa ejus materiam, formam, & pleraque accidentia: & tamen Aer eatenus rarefactus, non poteſt coërceri intra illud vas, à quo continebatur condenſatus; id vetantibus non Aeris materia, non forma non aliis ejus accidentibus, ſed ſolis dimenſionibus; quippè quæ ſolæ efficiant illam impenetrabilitatem.

Hanc verò doctrinam peripateticam accommodo fiſtulæ noſtræ occupatæ à mercurio. Hic ſi inde trudatur, nullo alio corpore ſuccedente, neceſſariò, ſecundùm Stagiritam, ſecum vehit tres ſui dimenſiones, ſibi inhærentes inſeparabiliter; ita vt ſit impoſsibile, extrema concauæ ſuperficiei fiſtularis diſtare ſecundùm vllam longitudinem, latitudinem, ac profunditatem: quapropter vel mercurius non poterit extrudi, vel fiſtula frangetur, advocato corpore aereo, aut aqueo, aut alio opportuniore. At vidimus in fiſtula locum ſine locato: Quæro igitur;

Vtrùm longitudo, & profunditas vacui ſpatii fiſtularis ſint demenſiones reales, ut ſupponit Ariſtoteles? *Vtrùm*

Vtrùm sint separatæ à corpore naturali.
Vtrùm natæ sint penetrare dimensiones corporis intro locabilis?
Sin verò non sint reales, cur ab Aristotele vrgentur contra vacuum?

Ignorem. SERENISSIME, harum quæstionum solutionem. Vnum est de quo mihi certò constat. Aristoteles ignoravit molem ter dimensam, quandoquidem ignoravit, extrema superficiei corporis locantis posse distare ab invicem, sublato omni corpore locato Porrò is qui ignorat molem ter dimensam, necessariò coignorat omnia corpora naturalia.

Corpus, successiuè motum in vacuo, quomodo nocet Aristoteli?

AGgredior motum corporis in vacuo, quem Stagirita censet impossibilem: contrahit tamen suam demonstrationem, ut coniicio ex ejus textu, ad corpora simplicia, quatenus sunt gravia, & levia. Sed præmitto quatuor, quæ à Stagirita supponuntur suo argumento Supponit, motum localem in instanti, esse impossibilem; quia implicat, idem corpus in vno, & eodem instanti esse in pluribus locis, quod necessariò evenit, si corpus moveatur de loco ad locum in instanti.

Supponit secundò, Principia, intrinseca, motiva corporum gravium, & levium, non habere resistentiam ad actiuè movendum, nec à se, nec à corpore mobili, sed à medio, per quod corpora illa moventur, cujusmodi sunt Aer, & Aqua.

Supponit tertiò, nullam esse proportionem inter ens, & nihil, & consequenter inter aliquod corpus, & nil corporum. Cogita Quaternionem esse duplum Duernionis, & quadruplum vnitatis. Ad Quaternio ad nil numeri, & vnitatis nullam habet proportionem. Non secus Locus, qui complectitur corpus locatum, nullam, quoad hoc, habet proportionem cum loco vacuo ab omni corpore.

Demùm supponit, medium densius resistere moventi magis, quam minùs densum: ita ut, cæteris paribus, ea sit proportio velocitatis ad velocitatem, quæ est densitas ad densitatem: nimirum, Grave, descendens per Aerem, movetur decuplò velocius quam moveatur per Aquam, si aer sit decuplò rarior Aqua.

Hisce suppositis facilè infert impossibilitatem. Cùm enim Gravi, aut Levi moto localiter nil resistat præter corpus, per quod movetur, si id tollatur, relictò loco vacuo, nil superest, quod resistat moventi, & cum

consequenter corpus, si movetur per vacuum, necessariò movetur in instanti, qui motus instantaneus tàm est impossibilis, quàm est impossibile, corpus ullum esse, in uno, & eodem instanti, in pluribus locis.

At nos vidimus Aërem, & Aquam, præter mercurium moveri successivè in fistula vitrea vacua ab omni corpore. Quæro igitur, Quid id sit, quod resistit virtuti contiguanti mercurium, Aquam, & Aërem, cum concava, & vacua superficie fistulæ, ne sursum ageret corpora illa in instanti.

Hęc quæstio non potest solvi ex sententia peripatetica, quæ statuit corpus naturale componi ex materia & forma, à qua forma derivantur in totum compositum Quantitas continua, nec non Gravitas, & Levitas, velut instrumenta, seu adminicula activi motus localis: Nam v.g. cum Mercurius, cui inest Principium motus ad centrum, movetur ad supremas partes fistulæ ad præcavendum, aut supplendum vacuum, motus ille necessariò est à Principio essentialiter distincto ab eo, quod premit mercurium ad partes fistulæ infernas: & consequenter cùm virtus contiguativa nata sit movere omnia corpora tam mixta, quam simplicia, nulli eorum inest: cui ergo inerit, ut sit, in aliquo corpore naturali?

Quidam Peripateticorum occurrunt huic objectioni, tribuendo virtutem contiguativam singulis corporibus naturalibus, quatenus, ut virtute continuativa partes sese naturaliter recolligunt in suam sphæram, sic virtute contiguativa singula corpora mundana sese naturaliter complectantur in unam molem, per immediatam contiguationem. Huic excusationi obstat nostra fistula, in qua vidimus, mercurium occupasse infimas partes fistulæ, supernis vacuis ab omni corpore, eò quòd virtus contiguativa nequiverit vincere totaliter virtutem continuativam prementem mercurium ad partes fistulæ infernas. Dissentiunt ergo illæ duæ virtutes motrices, ac pugnant motibus contrariis, ita ut sit impossibile, sint una natura: quapropter dico, Principium movens sursum mercurium, & aquam per vacuum fistulæ, habere virtutem motricem, limitatam ab Auctore naturæ; unde limitatur velocitas motus, quo minus fiat in instanti. Scio tamen objectionem, quam mea fistula nequit ad oculum submovere. Opponitur, motum mercurii & aquæ non fieri simpliciter in vacuo, siquidem corpora illa tangunt concavam superficiem fistulæ, quæ non potest non esse scabrosa, licet nostro tactui imperceptibiliter: conce-

do, & promitto aliam Fiſtulam, ex qua gutta aquæ cadat per medium vacuum intacta concava ſuperficie Fiſtulæ. Porrò brevitatis gratia non urgeo profundius contra Stagiritam hæc corpora ſuceſſive mota in vacuo.

Lumen, nulli corpori inhærens, quomodo nocet Ariſtoteli.

DEmum expendo lumen, nulli corpori inhærens. Id verò eſt vel forma accidentalis, vel ſubſtantialis. Vt ut ſit, duo hinc conſequuntur inimiciſſima Peripatui. Vnum eſt: Corpus lucidum activè producens lumen ex nihilo.

Alterum: Forma ſenſibilis ſeparata à materia.

Lucens, productivum luminis ex nihilo, tollit neceſſitatem materiæ primæ in ordine ad generationem, & ſubjecti in ordine ad alterationem, ſeu productionem.

Ergò non datur materia prima Ariſtotelica. Lumen, nulli corpori inhærens, aſſerit ſui exiſtentiam, independentem à ſubjecto, in quo recipiatur. Ergo aliqua forma ſenſibilis ſtat ſine ſubjecto.

Has concluſiones infero ex noſtra fiſtula, ſive lumen in vacuo ſit forma accidentalis, ſive ſubſtantialis.

Sit eſſentialis. Ergo corpus lucens eſt productivum formæ eſſentialis ex nulla materia, aut ſubjecto, quomodolibet nuncupato.

Sit accidentalis. Ergo forma accidentalis accidit, licet nullum exiſtat ſubjectum eſſentiale, cui accidat.

Fortaſſis lumen in vacuo eſt forma entitatis exilioris forma ſubſtantiali, tametſi nullum ſit ſubjectum, cui accidat.

Sit. Ergo forma non ſubſtantialis ſubſiſtit ſine ſubjecto. Opponunt nonnulli hiſce conſequentiis hanc propoſitionem, velut certam ex fide.

Solus Deus poteſt producere ens aliquod ex nihilo.

Nego, fidem Chriſtianam involuere illam aſſertionem, cujus loco fortaſſis cogitabant hanc:

Solus DEUS *poteſt creare.*

At creare involuit, ultra productionem ex nihilo, independentiam à cauſa ſuperiore, quæ negatur de Agente naturali.

Hæc paucis expoſuerim TUÆ REGIÆ MAIESTATI, multis, quæ alioquin dicenda erant, rejectis in meam Philoſophiam: ſufficiunt autem

autem quæ dixi,ut intelligas,lapides de ſtructura Peripatus, quos ſecum rapiunt

Locus ſine locato,
Corpus motum ſucceſſivè in vacuo &
Lumen viſum in vacuo

eſſe prægrandes,eſſe fundamentales,eſſe angulares. Putaſnè iſtis demonſtrationibus iri fractũ Phyſicã Ariſtotelis, illiſam fiſtulæ vitreæ?

DISPVTATIO
Theologorum Varſavienſium.
Contra Vacuum, ex noſtra Fiſtula illatum.

HÆC ſcribebam Varſaviæ die 12.Iulii anni 1647. quæ dum exhibentur Sereniſſimis REGI ac REGINÆ,ſpectaculo jucundiſſimo,inde erupit fama hujuſcemodi miraculi in natura, quæ excitavit multorum ingenia ad contradicendum: quapropter REX SERENISSIMUS præcepit ſibi adeſſe ex omnibus Ordinibus Regularibus Theologum unum,aut alterum,qui die 18.prædicti menſis coram ſpectarent experimenta meæ fiſtulæ, oppoſituri id corporis, quod ex eorum ſententia occuparet partem fiſtulæ,quam ego exiſtimabam planè vacuam,Convenimus ergo:& juſſus à Rege proloqui, dixi,me vehementer ſuaderi quodam experimento ſenſibili, quod locus ſine locato ſit poſſibilis ipſi naturæ, ſed vereri, ne ſubſit error: quapropter me plurimum debere Clementiſſimo, ac ſapientiſſimo Mœcenati,quod ea convocatione fecerit mihi opportunitatem percipiendi ex ore eorum,quid ſentiant,viſo prius, ac probè conſiderato experimento.

Implevi ergo meam fiſtulam mercurio, & exhibui illis integrum ſpectaculum,ſupra luculenter expoſitum: nec tamen ſinguli dixere ſententiam, veriti fortaſſis moleſtiam, qua SERENISSIMI PRINCIPES afficerentur ex longiore conquiſitione veritatis.Quatuor fuere, qui dee̓rtè probare nitebantur, eam fiſtulæ partem, quæ mihi videbatur vacua,eſſe occupatam ab aliquo corpore: Fuit, qui diceret, corpus illud eſſe Aerem: Alii dixere, eſſe vaporem exhalatum à mercurio:nonnullus addebat vapores contributos ab aqua, velut fuerit alterata à mercurio.

His oppoſui motum aquæ vehementem, quo pars illa fiſtulæ,

quam dicebant repletam aëre, aut vapore, implebatur, concederent ergo aut Vacuum, aut corporum penetrationem. Neutrum concesſere. Ego verò inſtiti, ac petii, dicerent cauſſam, ob quam tanto impetu aquæ aſcenderent uſque ad ſummitatem fiſtulæ, ſi non ineſt illi locus ſine locato. Fuit qui aſſereret, mercurium, defluentem ex fiſtula in aquas, premere illas vehementiſſimè: quæ eatenus laceſſitæ, & penè verſæ in furorem, reſiliunt ſurſum per fiſtulam eo impetu, qui cogat vapores, velut verſos in fugam, tentare, ac obtinere evaſionem per orificium infernum aquis immerſum.

Porrò nil horum, me, credentem fiſtulæ partem illam eſſe vacuam, commoverat: erupit tamen ex multa concertatione unum argumentum, quod mihi viſum eſt idoneum turbando judicio etiam illorum, qui non ſunt præoccupati ſententia Ariſtotelis, nec jurati defenſores doctrinæ Principis propriæ Scholæ. Id eſt: Dum mercurius, qui occupat penè medietatem fiſtulæ, ruit præceps in aquas hæ neceſſariò aſſurgunt magna velocitate, nō tamen impleturæ illam fiſtulæ partem, quam ego aio eſſe vacuam, ſed occupaturæ locum dumtaxat, quem deſerit mercurius, ne detur vacuum: quoniam verò natura prohibet vacuum ingenti conatu, aquæ, ſurſum motæ, pellunt ipſum mercurium uſque ad fiſtulæ ſummitatem, & tandem tota fiſtula repletur aquis, extruſis aut aëre, aut vapore per orificium infernum immerſum aquis. Hoc argumentum exceptum eſt non ſine plauſu: Ego verò qui volebam argumentari ex ſola fiſtula, oſtendi ad oculum, fiſtulam altero orificio obturatam, & perpendiculariter erectam, ſi vi, aut celeritate ingenti mergatur aquis, nil aquarum, aëre extruſo, admittere, nec poſſe extrudi aerem, aut vaporem, quin in conſpicuas bullas, ſalientes ex profunditate aquarum, fatiſcerent, quarum nulla cernitur in deſcenſu mercurii. Hæc dixi: verùm cùm nil proficerem, exiſtimavi, improbabilitatem multarum aſſertionum, quibus ibant ſublatum vacuum, à mea fiſtula illatum, confirmare ipſum efficaciſſimè.

Vbi verò, actis humillimè gratiis SERENISSIMIS REGI ac REGINÆ, quòd fuerint dignati coram ſpectare hæc experimenta, & audire ſingulorum placita, conceſſi ad meum muſæum, adhibui fiſtulam novo experimento, quod poteſit non quidem imperare ſilentium contradicenti, ſed extorquere conſenſum à viro perſpicaci, non præoccupato. Implevi fiſtulam mercurio, immerſam eidem mercurio, & deobturato inferno orificio, ſtetit in fiſtula una pars mercurii, reliqua defluente in vas ſubjectum. Notavi filo circumducto locum fiſtulæ

ſum-

summum, quem attingeret mercurius: dein de obturavi orificium fistulæ, antequam eam elevarem à mercurio, & inversa fistula mercurius delapsus est ad partem extremam, sigillo Hermetis obsignatam, carnibus digiti, obturantis oppositum orificium, non sine molestia intrà fistulam actis, quatenus tantilla caro suppleret particulam vacui relicti: quo argumento evidentissimè infertur Vacuum. Fistula ergo, ut dixi, inversa, & erecta, ac reserato ejus orificio hiante sursum versus replevi reliquam partem fistulæ media ex parte aquis, reliqua aere, ita ut nil esset vacui in ejus canali. Hisce catenus dispositis, inversa & erecta fistula, digito obturata, mersi ejus orificium aquis, observaturus, an de obturato orificio, dum mercurius ruit præceps, aquæ sursum vibrentur, cum fistula, meo judicio, altera sui parte censetur vacua. Factum est: vix tamen aquæ sursum vibratæ, excesserunt locũ signatum filo: immotis aqua, & aere occupantibus superiores partes fistulæ: nullis bullis à superficie aquarum fatiscentibus in aerem. Hoc ipsum accidit, reserato orificio fistulæ in aere libero: cernuntur tamen bullæ in aqua, ut fieri solet infuso quovis liquore.

Quapropter causa motus vehementioris mercurii, aquæ, & aeris sursum per canalem fistulæ, qui non contingit, fistula repleta aqua, aut aere, necessariò fit à principio, satagente non solum sufficere corpus in locum labentis mercurii, sed & replere partem fistulæ, superiorem vacuam ab omni corpore.

Potest hoc experimentum institui triginta modis, conbinando mercurium, aquam, aerem, infundenda fistulæ, & fistulam mergendam mercurio, aquis, & aeri: quos modos consideravi omnes ex quibus nil contra, sed omnia stant pro naturali possibilitate Vacui: Si addas hisce combinatis longitudinem, & latitudinem fistulæ, cernes oculis tuis argumentum, pro possibilitate Vacui, indetrectabile viro non insipienti. Mercurius, erectus à superficie mercurii, stat in fistula, cujusvis magnitudinis, altus quinque partes quartas ulnæ Varsavien-sis: scilicet, altitudo hæc non pendet à varia copia, & vario motu aut mercurii æstuantis vapores, aut aeris subeuntis canalem fistulæ.

Corpus, quà est moles ter dimensa, est mobile localiter, &, quà ejusmodi, non est motivum localiter: & consequenter movens localiter, qua ejusmodi, non est corpus, sed spiritus: intra cujus sphæram activitatis stant, ac moventur corpora, quæ non possunt ullum spatium terminare, quod sit vacuum ab hac activitate: At verò ejuscemodi sphæra activitatis stat sine corpore. Porrò hæc regero suis lo-

cis in meam Philoſophiam. Cuncta ſubjecta ſunto cenſuræ Eccleſiaſticæ, & judicio doctiorum.

Altera Pars
DEMONSTRATIONIS OCVLARIS
De poſſibilitate vacui,
Auctore eodem
VALERIANO MAGNO

Valerianus Viro Philoſopho ſalutem.

FEci juris publici opellam, De poſſibilitate Vacui, demonſtrati non tàm ratione, quam experimento fiſtulæ vitreæ, longæ ultra duos cubitos, plenæ mercurio, quem natura, prohibitiva Vacui, nequit ſuſpendere totum, ſed quinque quartas circiter partes ulnæ Varſavienſis, reliqua parte fiſtulæ vacua ab omni corpore. SERENISSIMIS verò REGI, ac REGINÆ Poloniæ ſpectantibus id miraculi in natura, promiſi alteram partem ſpectaculi hujus, ſcilicet, Fiſtulam longam viginti circiter cubitos, plenam aqua, quam nequeat eadem natura, prohibitiva vacui, ſuſpendere totam. Equidem id præſtiti, haud tamen SERENISSIMIS PRINCIPICUS ſpectantibus: ſpectaturis autem, ubi redierint à venatione. Interea verò totius rei rationem, & ſucceſſum tibi, amanti ſapientiam, ſcilicet, tibi Philoſopho, expono, quatenus tuo judicio cenſeas de rei veritate: Sed facti hiſtoriam præmitto.

Paravi fiſtulam metallicam longam, ut dixi, cubitos Varſavienſes viginti, latam digitum unum circiter; cujus orificium unum accuratè clauditur glutine metallico. Fiſtulam hanc replevi aqua communi, &, diligentiſſimè obturato altero orificio, illam erexi perpendicularem plano orizontis, pendulam ab illa extremitate, quam obſignaram, ut dixi, glutine metallico, altera merſa aquis, quarum quantitas fuerat mihi præciſè nota. Rebus ergò ita compoſitis, deobturavi orificium infernum, dum mergeretur aquis, reddiditque ultra duos cubitos aquarum, reliquis ſtantibus in fiſtula, nimirum, ſuſpenſis contra gravitatem aquæ, à natura prohibitiva vacui. Hiſce peractis, examinavi accuratius proportionem gravitatis mercurii ad gravitatem aquæ, & deprehendi, mercurium, ejuſdem molis

cum

cum aqua, esse circiter terdecies graviorem illa. Quoniam verò cylinder aquæ, suspensus in fistula, habet in longitudine ulnas infra octodecim, cylinder verò mercurii, stantis in fistula, longus est supra ulnam unam, deprehendi, cylindrum aquæ esse terdecies longiorem cylindro mercurii, permutata proportione gravitatum mercurii, & aquæ. Talis est facti historia.

Rogo igitur dignitatem tuam Philosophicam, quatenus accuratè expendas utramque partem Demonstrationis ocularis de possibilitati Vacui. Si de veritate facti hæsitas, neque sis longè dissitus à me, exhibebo, quoties licuerit, tibi videnti, ac palpanti relata experimenta. Sin verò absis, haud difficulter poteris, satis instructus meis Tractatibus, hoc perficere tuis manibus, quod enarro, me fecisse. Pono igitur, te credere mihi, motus aeris aquæ, & mercurii in fistula, & è fistula, eos esse, quos retuli, nec tamen concedas, supremas partes fistularum illarum esse vacuas ab omni corpore. Quapropter peto abs te nomen corporis illius, quod occupat supremas partes fistularum. Peto insuper, nomines viam illam, per quam corpus illud eò penetravit. Sed antequam satisfacias quæsitis, concesserim per modum doctrinæ, partes illas esse occupatas ab aliquo corpore: Quæro, cur ex fistulis non defluit tota aqua, totusque mercurius, prout suopte pondere naturaliter defluerent, siquidem, aliqua parte defluente, succedunt alia corpora sine ullo periculo vacui? Quæro, cur, existentibus fistulis quantumcunque longioribus, & latioribus, (quod ego sæpissimè probavi) cylinder mercurii, cylinderque aquæ immutatam servant altitudinem in fistula? Quæro, cur longitudo cylindri aquei est præcisè totupla ad longitudinem cylindri mercurialis, quotupla est gravitas mercurii, data paritate molis, ad gravitatem aquæ: ita ut cylinder aqueus, & cylinder mercurialis, successivè stantes in eadem fistula, sint æquales in gravitate, licet inæquales in longitudine? Quæro, cur aer, aqua, & mercurius subeunt tam evidenter, tantoque impetu ad supremas partes fistulæ, si partes illæ sunt repletæ corpore, leviore aqua, & mercurio?

Fortassis respondes, corpora hæc ascendere, non repletura vacuum præexistens, sed oppletura spatia relicta ab aqua, aut mercurio effluentibus. Ego verò insto: Cur fistula, superiore sui parte repleta aqua, aut aere, & inferiore repleta mercurio, eo effluente, nil aquæ, aut mercurii refluit ad partes superiores, repletas, ut præfertur, aere, aut aqua, sed dumtaxat assurgunt usque ad illam

par-

partem fistulæ, quæ occupabatur à mercurio effluente? Sed concesserim secundò, per modum doctrinæ, partes supremas fistulæ fuisse repletas aut aere, aut subtilissimo vapore, exhalato à mercurio: Quæro, qua via aer, aut subtilissimus ille vapor cessit locum assurgentibus aquis, & mercurio ponderosissimo? Quæro insuper, cujus finis gratia, si nullum sit vacuum in fistula, mercurius, gravissimus omnium liquidorum, tantò impetu salit sursum, agitque deorsum vaporem, aut aerem levissimum? Ego nullam horum miraculorum necessitatem deprehendo, quàm quæ opituletur negantibus vacuum. Has quæstiones urserim, concesso, per modum doctrinæ, corpore occupante supremas partes fistularum.

At nego, defluentibus ex fistulis aqua, & mercurio, succedere corpus aliud: quapropter tibi incumbit, mihi nominare & corpus, & viam, qua irrepit. Quod illud? quæ illa? fortassis respondes: Illud est aer, vel vapor à mercurio: Via, si sit aer, sunt pori vitri, vel infernum orificium fistulæ: Si sint vapores, ii exhalantur à mercurio, summè volatili, secundum omnes chymicos Porrò quòd pars suprema fistulæ sit repleta aliquo hujusmodi corpore, evidenter demonstratur per rarefactionem, & condensationem, conspicuam ex motu mercurii, stantis in fistula: depressi, fistula calefacta: & elati, frigefacta Hæc Tu. Ego verò non acquiesco hisce assertis, & argumentis. Si aer subintrat quoquomodo superiorem partem fistulæ, relictam à mercurio, cur quantitas aeris penetrantis semper est eadem, mercurio defluente: &, defluente aqua, longè minor, semperque eadem, fistula quantumvis longiore, & latiore? Quæritur insuper, qua vi, clam me accuratius inspiciente, aer subintravit fundum aquæ & mercurii, ut per orificium infernum penetraret ad summitatem fistulæ? Cur, defluente aqua, & mercurio per fistulas, evocatur, per poros illarum, aer ambiens frigidissimus, nedum non calidus, nunquam catenus admissus in ullis experimentis? Venio ad exhelationem à mercurio, quasi sit corpus, facillimè fatiscens in vapores: cui oppono experimentum hoc. In fistula vitrea, erecta super plano orizontis præcipitavi mercurium, aquam, & cerevisiam, experturus, imò oculis visurus, quotam partem fistulæ occuparent aer, aut vapores, elati, aut exhalati à præfatis liquoribus: & animadverti, è cerevisia saliisse tot, qui occuparent quintam partem: ab aqua trigesimam: à mercurio ducentesimam circiter, ejusdem fistulæ: ita ut trium liquorum tertius minimè omnium expiret aerem; expiraret tamen copiosissimũ admotus

igni,

igni. Argumentum verò à condensatione, & rarefactione ducitur ab experimento, non accuratè instituto, ac facto. Concedo, aliquid aeris penetrare ad partem supremam fistulæ, quod calore rarescat, & frigore densetur, si fistula minùs cautè tractetur. Ego verò sæpius expertus sum, nil aeris, stante mercurio, salsisse ad partem fistulæ vacuam: non enim vel minima portio aeris sursum agitur per cylindrum mercurii, non conspicua intuenti: in quo casu nil est, quod aut rarescat, aut densetur, prout sæpiùs expertus sum.

Tu ergò, mi *Philosophe*, pro tua dignitate velim accuratè perpendas, à me motas quæstiones, & pro tuo acumine soluas: quibus adiungo paucas; quæ oblique dumtaxat spectant quæstionem de possibilitate vacui. Quæro, cur conceduntur tot improbabilia, & penè evidenter impossibilia, ut una ocularis Demonstratio de possibilitate vacui obscuretur? Utrùm id omne, quod possibile est sciri, sciatur: ita ut studium noscendæ veritatis occultæ vertendum sit temeritati? Utrùm, secundum Aristotelem, & rei veritatem, is qui in philosophia nititur auctoritate magistri, sciat, an opinetur? Utrùm scientia, etiam secundùm Aristotelem, possit haberi sine cognitione causarum? Utrùm Aristoteles, secundùm fidem Christianam, habuerit scientiam de Natura, fueritque verus philosophus, siquidem negavit, Deum esse causam efficientem totius Naturæ? Utrùm Philosophia sit intellectio Ideæ, in quam Deus respicit, creans, & movens Naturam vniversam in suos fines? Utrùm non sit erroneum, hanc Ideam extroquere à textu ignorantis causam efficientem totius Naturæ? Utrùm, secundùm fidem Christianam, conditionemque naturæ rationalis, liceat investigare Ideam illam ex naturis creatis, immediatè consideratis sub radio Lucis mentium?

Ego, in quæstionibus de Doctrina fidei, communico cum Vrbis Episcopo, nullo argumento commotus, quàm quod Cœtus communicantium cum illo, solus ex omnibus, à Christo passo, fulgeat hominibus, mundo conspicuis vitæ sanctitate, & miraculis: nec, tametsi apprimè vellem, quirem secus judicare. In reliquis veneror auctoritatem multorum Philosophorum, nullius tamen eo usque, ut velim dumtaxat credere illis. Volo scire: scilicet, rem per causam cognoscere: neque despero me ipsum. Illi, qui, conscii virium propriæ mentis, malunt perennare in schola, sub auctoritate magistri, me quoque auctore, non excedant discipulatum. Hi tamen haud congruunt docendis, & revocandis à libertate ad eam disciplinam, illis, quorum non est eadem ingenii conditio. Diuus Paulus sapientiam loquebatur inter perfectos,

quandoquidem placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes eo quod in ſapientia Dei mundus Deum non cognoviſſet: nec tamen ſapientia Dei obſtat fidei, quam Doctor gentium tradebat paucis & perfectioribus ex Chriſtianis. Qui à ſapientia Dei, quam nos nuncupamus *Ph*iloſophiam, timent Fidei Chriſtianæ oppoſitionem aliquam, credunt ſubobſcurè. Hæc ſcribebam Varſaviæ anno 1647. die 12. Septembr.

VACVVM
PLENO SVPPLETVM
VALERIANI MAGNI.

LECTORI.



Ntequam Amice Lector, aggrediare lectionem hujus opuſculi, te monendum duxi, quod Evangeliſta Torricellus Magni Ducis Hætruriæ Mathematicus, exhibuit per Hydrargirum illa experimenta de Vacuo, de quibus toto pene orbe acerrimè diſputatur. Huic experimento acceſſit illud ipſum, exhibitum etiam per aquam à D. de Paſchal, quo ipſo anno P. Valerianus Magnus Capuccinus, inſciùs horum, ſuopte ingenio edidit utrumque ſpectaculum Sereniſſimo Regi Poloniæ: cum verò intelligat pleroſque Philoſophorum detorqueri à Veritate, eo maximè defectu, quod hujus experimenti neſcirent alteram partẽ, eam noviſſime exhibuit ſcriptam Cæſareæ Majeſtati, cujus copiam nactus, illam tibi, Lector humaniſſime, meis typis communico, futuram gratiſſimam iis, qui ſunt amantes Veritatis, illis, inquam, qui ſunt Philoſophi.

VACVVM
PLENO SVPPLETVM
A VALERIANO MAGNO
FRATRE CAPVCCINO.

NVmero tres annos à prima exhibitione meorum experimentorum de poſſibilitate Vacui, quæ toto hoc tempore exercuerunt

inge-

ngenia multorum, & inaudio prodiisse de argumento tam nobili lucubrationes illustres, quarum tamen nullam vidi præter publicatas à P. Mersenno, à D. de Paschal, à D. de Roberval Gallis, & ab auctore anonymo ad magnum Amicum, conscii ejusdem experimenti primò exhibiti in Italia, à Torricello Magni Ducis Hætruriæ Mathematico. Quoniam verò duarum partium hujus experimenti toto orbe celeberrimi unam duntaxat adhibent, illi verò, qui alteram ignorant, errant in potioribus: hanc in usum philosophicum expono hoc scripto.

Equidem illam quoque ignoravi, cum edidi prima specimina ejus, sed mox intellexi, quid deesset, & nactus ante biennium, prope Gedanum officinam vitriariam, præparavi tubos convenientes, & exhibui in illa Vrbe experimentum integrum, spectantibus, præter domesticos, aliis nonnullis.

Tubus ergo plenus Mercurio, de more exonerandus in subjectum vas plenum Mercurio, si id sit convenienter profundum, trahitur intacto fundo ad partes imas & erecto cylindro Mercurii ad staturam, minorem consueta, nulla pars tubi est vacua à Mercurio. Verum si tubus elevetur à fundo vsque ad superficiem Mercurii inclusivè, erigitur integra statura Mercurii, & pars tubi superior vacat à Mercurio, quæ repletur toties, quoties elevata sinitur sensim descendere, rapta nimirum à Natura prohibitiva Vacui.

Tantæ molis fuerat intellexisse, aliquid Vacui in dato tubo posse prohiberi tractione tubi ad profundiora vasis subjecti; At, inquis, quo fructu?

Memini me legisse apud P. Mersennum, quod ipse & plerique, inter quos Gassendus, & nonnulli PP. Jesuitæ ignorantes caussam, cur altitudo staturæ Mercurii in tubo variat, eam pervestigabant studio ingenti: sed en illam, conspicuam oculis, scilicet, statura Mercurii crescit, si tubus descendat minus: decrescit, si descendat magis. Non commemoro alias ejusdem variationis caußas.

Laudat Mersennus Torricellum, quod sentiat Mercurium elevari in tubo ab aere, premente Mercurium, qui continetur in vase, cui tubus mergitur.

Hinc D. de Paschal, Vir inter Gallos præcipuæ nobilitatis, post deprehensam staturam Mercurii altiorem in Valle, quam in vertice

montis,aut turris,edidit anno 1648. tractatum de Magno experimento æquipondii liquorum, in quo asserit staturam Mercurii non erigi in tubo à Natura formidante vacuum, sed ab æquilibrante cylindrum Mercurii cum cylindro aeris.

Equidem sentio Mercurium erigi in tubo, tam ab aere,quam ab aqua prementibus Mercurium in vase subjecto: at nego Naturam non horrere vacuum:imò assero, quod æquilibrium obveniat à Natura exhorrescente vacuum: nam Natura, nacta vas profundum, deorsum trahit tubum vitreum,alioquin insidentem, seu innatantem Mercurio, prohibetque omne vacuum, citra æquipondium cylindrorum Mercurii,& aeris.

Huc spectant alii conatus,quibus vitat, & replet Vacuum,conspicui in nostro tubo,nimirum.

Trahit aerem per poros tubi lignei.

Perfringit vitrum minus firmum.

Attollit aerem interceptum.

Aerem elevatum rarefacit.

Attollit vapores excussos collisione aeris, Mercurii, aquæ & vitri.

Vapores eatenus elatos rarefacit,&c.

Qui conatus eò spectant,ne detur aut perseveret Vacuum. Verùm, inquis, hi ipsi conatus videntur innuere impossibilitatem Vacui, præpediti efficaciter rarefactione aeris & vaporum,qui suggeruntur à præfatis corporibus invicem attritis,seu allisis.

Objectioni morosæ,pertinaci,& penè universali respondeo ex meo tubo,hoc modo.

Impleatur tubus Mercurio, superaddita aqua ad altitudinem duorum digitorum, qui de more exoneretur in vas convenienter profundum,ac plenum Mercurio,ajo omnes particulas aeris, & vaporum assurgentes à Mercurio transire visibiliter per aquam, & occupare partem tubi supremam in Vertice aquæ,ita ut pars illa sit visibilis, & conspicuè secreta ab aqua, & à tubo vitreo, nulla parte tubi vacua, & demum post sæpius iteratas elevationes & mersiones tubi, nil aeris aut vaporum visitur ascendere per aquam. His verò sic constitutis, quæritur quotuplex spatium illa particula aeris & vaporum occupat rarefacta,ejus,quod occupabat densa?

Ego exhibui hoc experimentum iis circumstantiis,ex quibus conjeci particulam, quam videram densam occupare spatium (si illud impleat

pleat totum) centies millies amplius illo, quod occupabat non rarefacta, quam ob rem adhibui tubum uno digito altiorem integra statura Mercurii, cui, repleto argento vivo admisi aeris digitum unum, & de more exonetavi, visurus spatium, quod unus digitus aeris rarefacti esset occupaturus in dicto tubo. Vidi, nec tamen, ob tubi inæquabilitatem, potui exhibere in numeris præcisam proportionem spatii occupati ab aere rarefacto ad spatium occupatum ab eodem aere denso. Enimvero non ausim asserere, hanc proportionem esse septuplam, tametsi eadem statura Mercurii in tubo longiore rarefecisset aerem densum ab uno spatio, ad spatia ejusmodi 100000. dico centum millia.

Verùm cum ob lumen visibiliter productum, & inexistens tubo, qua parte vacat à Mercurio, nequeat subsistere Peripatus, si spatium illud concedatur Vacuum, si, inquam concedatur lumen produci à lucente fœcundo, ex nullo subjecto, nullivè subjecto inhærens, dependens duntaxat à producente, Peripatetici id pernegant, spatiumque illud implent conatu, qui superet ipsa prima principia Philosophiæ Aristotelis, nedum Naturæ ordinem.

Nolo tamen dissimulare unum argumentum, ductum ex intimis visceribus Aristotelis, quo sese valeant apparenter munire adversus publicam sententiam de possibilitate Vacui, nisi obstet experimentum mox dicendum.

Dicerem ego partem tubi, quæ ponitur ut Vacua, continere, per ultro concessa, aliquid aeris & vaporum, quod rarefactum occupat spatium majus; scilicet quantitas illa continua educitur de potentia subjecti, manente subjecto eodem sub majore, quod fuerat sub minore quantitate.

Ecquis verò ille, qui, ut ostendat Vacuum, secernat aerem à spatio, quod occupat rarefactus? At quamdiu in dato spatio rarescit aer, tamdiu nova quantitas continua præsumitur educta de potentia aeris & vaporum, quæ compleat spatia, deserta à Mercurio.

Fateor hoc argumentum exigere novam disputationem de eductione quantitatis continuæ de potentia subjecti, difficiliorem hac ipsa, quæ instituitur de Vacuo, si in nostro tubo aer rarefactus nequeat secerni à spatio Vacuo. At quis ille, qui hoc præstet? Ego Valerianus.

Adhibeo tubum, duobus digitis altiorem integra statura Mercurii, cui indo Mercurium uno digito supra staturam ejus, & super infundo

aquam usque ad summitatem tubi; quem exonero secundum Artem: relicto supremo digito tubi vacuo à Mercurio & ab aqua, & observo ad oculum aerem & vapores ascendentes per aquam, & occupantes verticem tubi, qui, secundum meam sententiam, tametsi contineat aliquid aeris & vaporum, non tamen continet tantum, ut nullæ ejus partes sint vacuæ.

Quoniam verò in loco vehementer frigido parum aeris, minusque vaporum petit verticem tubi, adeo ut nil fortassis ascendat, quod sit satisconspicuum. In eo casu suprema pars tubi, antequam exoneretur & obturetur, debet vacare à Mercurio, & ab aqua, quatenus suppleatur tantillo aeris.

His sic constitutis, tubum digito obturatum inverto velociter, & in summitate cerno eodem momento partem tubi vacuam à Mercurio & ab aqua, secretis particulis aquæ & aeris, quæ à fundo tubi successivè & distinctè ascendunt. Porrò si pars tubi superans staturam Mercurii tota impleatur aut aqua, aut aere, aut utroque, & invertatur tubus, nulla pars eo momento in Vertice tubi cernitur vacua à Mercurio, nimirum, aqua, vel aere sustentantibus Mercurium, ne totus simul petat fundum tubi, prout petit, cùm vacat ab omni corpore; hæc pauca nunc dixerim, ex multis, quæ in mea Philosophia dicam accuratius.

Cogere argumentis mentem aversam à Veritate, ad Veritatis cognitionem, non est difficile. At obstruere ora contradicentibus nulla Arte logicali potest fieri. Scribebam Viennæ die 14. August. 1650.

DE VACVO

Narratio AE. P. de Roberval,

AD

Nob. virum D. des Noyers.


DE Vacuo, quod in rerum natura facile dari permulti autumant, adducto ad id comprobandum, nobili experimento hydrargyri tubo inclusi, modo qui jam omnibus satis notus est: Ignoscat mihi R. P. Capuccinus Valerianus Magnus, si dixero, illum parum candidè egisse in eo libello, quem

de hac re in lucem nuperrimè emisit mense Julio hujus anni 1647. dum celeberrimi hujusce experimēti, ille primus author haberi voluit, Quod certò constat jam ab Anno 1643. In Italia vulgatum fuisse; ac ibidem, præcipuè verò Romæ, atque Florentiæ, celeberrimas inter eruditos de ea re viguisse controversias, quas non potuit ignorare Valerianus, qui circa eadem tempora illis in Regionibus degebat, & cum doctis illis conversabatur. Habeo ego epistolam, quam Clariss. vir Evang. Torricellus Magni Ducis Hetruriæ Mathematicus misit Romam ad amicum suum Doctiss. virum Angelum Ricci sub finem anni 1643. Italicè scriptam: quæ nihil aliud continet quàm controversiam inter duos illos viros egregios, qui, quod & ferè omnibus accidit, de tali experimento diversa sentiebant. Ea autem Epistola, cum quibusdam aliis ab ipso Ricci missa est Parisios ad R. P. Mersennum Ordinis Minimorum sub initium anni 1644. qui eo ipso anno Romam profectus est, ubi & Valerianum ægrotantem tunc invisit, & cum eo quædam nostrorum opera recens edita, communicavit. Sed & in eadem Epistola ex discursu apparet, minimè novum tunc fuisse illis experimentum, sed jam multoties repetitum. Tentatum quidem illud fuit ab ipso Mersenno statim post acceptā Torricelli de ea re Epistolam: Verùm defectu Tubi ad id satis apti, nihil tunc fieri potuit; ac non multò post ipse in Italiam profectus est: atque obiter Florentiæ apud Torricellum vasa, & tubos prædictos vidit, & contrectavit. Idem autem reversus sub finem anni 1645. rem omnem vulgavit: neque tamen eo Anno, aut sequenti tubos aptos Parisiis recuperare potuit; tum quia ibi tales non fabricantur; tum etiam quia ipse toto fermè eo tempore per meridionales Regni Gallici partes peregrinatus est. Tandem ergo idem scripsit Rothomagum ad Amicos suos: ibi enim celeberrima habetur vitri, & Chrystalli officina. Sed antequam is inde tubos haberet, vulgatum fuerat & ibidem experimentum, ac plurimis modis cum privatim coram Amicis, tum publicè coram omnibus Eruditis multoties exhibitum à Nobiliss. viro D. de Paschal, mense Januario, & Februario hujus anni: neque id solùm beneficio hydrargyri in tubis minoribus, puta 3. 4. aut 5. pedum regiorum mensuræ nostræ: sed, quod mirandum multis videatur, beneficio aquæ, & vini in tubis 40. pedum ex crystallo mira arte fabricatis, atque ad malum Navis alligatis, quod Machinis ad id paratis, ita libratum erat, ut & attolli, & deprimi ad usum requisitum, facile posset. Et quidem occasio, cur ad tantam altitudinem recurreret talis fuit.

Cùm

Cùm viderent omnes hydrargyrum merum, nulla aqua adhibita, nec in tubo, nec in ſcutella ſubjecta, ita in tubo deſcendere, relicto ſuperiori ſpatio tubi veluti vacuo, ut tamen ſemper occuparet in inferiori parte tubi altitudinem pedum duorum & ſeptem partium viginti quatuor proximè menſuratam, ſecundùm perpendiculum ſupra ſuperficiem hydrargyri in ſcutella ſubjecta contenti; quantacunque pars Tubi in ſcutella immerſa eſſet, & quantacumque extaret: illi, ut par eſt, in re nova, ignotis cauſis, in diverſas ſententias abierunt. Quidam enim merum in tali ſpatio vacuum relinqui arbitrati, ſuam ſententiam facile defendebant contra aliorum obiectiones, at nullatenus aſtruebant, deficientibus rationibus, quibus nullum corpus, neque etiam ſubtiliſſimum, in tale ſpatium ſubingredi convincerent. Quidam præcipuè Peripatetici, qui magiſtri ſui Ariſtotelis, non rationibus, quæ nullæ ſunt, ſed verbis mordicùs adhærent, contendebant parvulam quandam, eamque forſan ſenſu imperceptibilem, aeris guttulam remanſiſſe, quæ poſtea eouſque rareficeret; ut ſic naturæ laboranti opitularetur. At illi parum proficiebant: quia in diverſis tubis latioribus eadem ſemper altitudo hydrargyri relinquebatur: Ideoque illa altitudo ad rarefactionem inducendam, & conſervandam, æquales vires ſemper obtinebat; cùm tamen minor, nunc major fieret rarefactio, ad quam proinde nunc minorem nunc majorem hydrargyri vim requiri conſentaneum videbatur. Adde, quòd adhibito tubo ſtricto quidem, ſed qui in parte ſuperiori dilataretur inſtar lagenæ, quæ 18. libras hydrargyri contineret, eoque debito modo impleto, atque diſpoſito, ut fit in aliis tubis, relinquebatur tota iſta lagena ab hydrargyro vacua, cum parte ſuperiori Tubi, donec illud in inferiori parte, ſub altitudine prædicta pedum duorum & ſeptem partium viginti quatuor quieſceret: nec quiſquam in animum inducere poterat, poſſe inſenſibilem aeris guttam, à pondere 2. unciarum hydrargyri in tubo remanentis, eam trahente, eò adduci, ut tantum lagenæ ſpatium rareficeret; Videbaturque ſecundùm illam Philoſophiam, hydrargyrum potius debuiſſe altiùs aſcendere ad ſpatium illud occupandum; præcipuè, quia inclinato ſenſim tubo, donec altitudo verticis illius, perpendiculariter ſumpta, eſſet pedum 2. & 7. partium 24. aut minor, ille rurſus totus hydrargyro replebatur: nihilque omninò ſæpiſſimè, aut aliquandò minimum quid extranei, præter hydrargyrum, inter tubum, aut lagenam animadvertebatur: Quod tamen extraneum, ſi quod erat, occluſo tubo, tum inverſo & rurſus recluſo, ad os tubi aſcendebat; Et infuſa nova hydrargyri gutta, fugabatur,

gabatur, ut sic iterando aliquoties, si ita opus esset, merum hydrargyrum appareret; quod tamen, erecto rursus tubo supra scutellam, idem quod prius, saltem ad sensum, spatium veluti vacuum relinquebat: & iterum, inclinato, replebat. Cumque erecto tubo vacuum appareret, si immisso in hydrargyrum scutellæ digito, tubus occluderetur, & inde attolleretur, apparebat semper vacuum, ut prius: at inverso tubo, cadebat hydrargyrum cum strepitu in fundum Tubi; & statim vacuum versus digitum apparebat in superiori parte tubi; Atque ita alternatim, inverso tubo, ita ut digitus ipsum strictè occludens, nunc in superiori parte existeret; nunc in inferiori: semper apparebat in parte superiori vacuum; idque statim, nulla interposita mora: nec præter hydrargyrum, quicquam intra tubum cernebatur. At antequam Tubus ex scutella extraheretur, si ille sic inclinaretur, ut apex illius ad altitudinem prædictam pedum 2. & 7. partium 24. præcisè perveniret, nullum adhuc vacuum eo in statu cernebatur, cùm tamen sic hydrargyrum totam suam altitudinem obtineret; atque ideo etiam & omnes suas vires exerceret, ad aerem, si quis esset, trahendum ad se, & sensibiliter rarefaciendum. Immò, admissa sponte, in tali inclinationis statu, aeris gutta, (quod facile est) illa ab omnibus, & dum in tubum per hydrargyrum ascenderet, & dum eo superato in summo ipsius natarет, facile cernebatur. Sicque eadem satis ampla existeret, inclinato magis, ac magis tubo, magis ac magis comprimebatur: quippe ad ingenium redibat; quia ab hydrargyro minus alto, minus trahebatur, minusque rarefiebat: At è contrario, dum tubus sensim elevaretur, fieretque hydrargyrum altius, atque ideo ad trahendum, & rarefaciendum aerem, potentius; tum gutta aeris magis dilatabatur: & tunc erecto ad perpendiculum tubo, hydrargyrum ad prædictam altitudinem non omninò ascendebat. Quòque plus aeris prius admissum erat, dum tubus inclinaretur, eò minùs hydrargyri in tubo erecto relinquebatur. Neque tamen hac ratione, fieri unquam potuit, ut aer magis rarefieret, quàm ut octies amplius spatium occuparet, quàm illud quod eidem in libero statu deberetur. Quibus omnibus experimentis colligebatur, guttam insensibilem à prædicta vi pedum 2. & 7. partium 24. hydrargyri rarefactam, non potuisse totam lagenam 100000. majorem replere: neque etiam ab eadem vi minimè mutata, potuisse diversos rarefactionis gradus, in eandem aeris guttam, ad diversa spatia replenda, immitti: nec proinde talem opinionem stare posse, nisi apud eos, qui non luce veritatis, sed tenebris

ignorantiæ delectarentur, ut Andabatarum more, clausis oculis depugnarent.

Præ cæteris autem hoc mihi, & multis aliis stupendum visum est, dum Pariis circa tale experimentum exercerer. Inclinavi Tubum in scutella subjecta, sic ut ipse hydrargyro repleretur, & per os, quod inferius erat intra scutellam, quodque paululum elevavi usque ad superficiem hydrargyri in scutella contenti, guttam aeris admisi, & statim idem os rursùs in hydrargyrum immersi, ne plus aeris hauriret, quàm par esset: ascendit ergo gutta aeris intra tubum, per medium hydrargyrum, quousque in summo illius nataret: Tum tubum ad perpendiculum erexi; & vacuum apparuit more solito. hinc supposito digito intra scutellæ hydrargyrum, os tubi occlusi, & tubum, unà cum hydrargyro, aere, & vacuo abstuli, omnia simul digito, & manu sustinens atque ostentans iis, qui adstabant: hinc quàm potui celerrimè tubum inverti, ut digitus fieret superior: ac tunc, velut in instanti apparuit vacuum versus meum digitum multò priùs, quam aeris gutta illuc ascenderet: hæc enim gutta, videntibus omnibus, sensim per hydrargyrum ascendit, & ad vacuum superius pervenit, ut sic in inferiori parte tubi merum relinqueretur hydrargyrum. Rursus autem celeriter tubum inverti, & statim, cadente hydrargyro in meum digitum non sine aliquo doloris sensu propter impetum, quamquam non altus esset casus, Vacuum in superiori parte tubi apparuit; gutta autem aeris non nisi sensim eodem ascendit: Et sic factum est toties, quoties ego tubum inverti: Unde omnes exclamarunt, tale vacuum non esse aerem. Sed & idem ego cum gutta aquæ: & idem rursus cum gutta aquæ, & gutta aeris expertus sum; ac idem semper apparuit. Oportet autem ad hoc, tubum non admittere plùs quàm sex digitos vacui; aliàs hydrargyrum vel digitum læderet, vel tubum impetu frangeret; quibus tamen periculis sublatis, poterit eligi tubus quicunque major, & elegantius evadet experimentum. Sed jam Rothomagum redeamus.

Post Aristotelicos, non pauci, qui cæteris multo oculatiores sibi videbantur; ex iis scilicet, qui cogitata sua, non minùs quàm nudam veritatem depereunt, ad hydrargyri naturam recurrentes, quam spiritibus abundare constat; non cunctanter affimarunt, tale spatium in vertice tubi relictum veluti vacuum, non revera vacuum esse, sed totum à spiritibus illis obtineri. Verùm illi primò,

quidem

quidem jisdem rationibus, quibus Aristotelici, & quidem jure, refellebantur: quippè quod ex majori aut minori copia hydrargyri, produci debuisset major, aut minor copia spirituum; præcipuè in diversis tubis, diversæ latitudinis, & altitudinis; sicque hydrargyrum in tubis quidem aliis, altius, in aliis autem humilius stare debuisset, nec servare æqualitatem illam pedum 2. & 7. partium 24. Cùm tamen illi obstinatiùs opinionem suam extollerent; ut jam eorum unus, quem cæteri veluti ducem sequebantur, libellum viginti quatuor horarum spatio editum in lucem emiserit, de mirabilibus Mercurii (sic enim hydrargyrum vocant) proprietatibus; Censuit D. de Pascal alia ratione eis occurrendum esse. Curavit igitur, duci ex Chrystallo tubos 40. pedum, eosque malo alligari, & machinas instrui, ut jam dixi; constitutoque die ac loco amplissimo in area officinæ Vitreariorum, invitavit omnes, ut adessent, mira conspecturi. Adfuerunt, atque unà cum illis Scriptor ille suis asseclis undique stipatus; Inierat autem privatim solertiss. D. de Pascal, calculum de aqua, & vino cum hydrargyro comparatis secundum gravitatem, ut inde debitam unicuique altitudinem eliceret, ad hoc ut in iis altitudinibus æquiponderarent: repereratque posita altitudine prædicta hydrargyri pedem 2. & 7. partium 24. deberi aquæ pedes 31. & una nona circiter: Vino autem pedes 31. & duæ tertiæ proximè. Itaque antequam quicquam sui propositi aperiret, interrogavit egregios illos sapientes, nec difficulter ab iis elicuit, majorem in vino quàm in aqua spirituum copiam reperiri; ideoque fore, ut, si experimentum fieri posset in iis liquoribus (fieri autem posse satis apertè negabant) vinum plus spatii, quàm aqua, relicturum esset in apice tubi, positis tubis ejusdem altitudinis. Hoc concesso; ostensus est eis malus jacens cum tubis alligatis: quibus, altero aqua, altero vino, repetis, & oribus occlusis, erectus est malus; & situlæ oribus ipsis Tuborum admotæ, quarum altera vino, altera aqua plena erat, in quas immersa erant tuborum ora, tubis semper plenis remanentibus, donec ora eorum recluderentur: quibus apertis, statim ambo illi liquores in tubis contenti sic depressi sunt, ut postquam quiescerent, staret altitudo aquæ in suo tubo, supra superficiem alterius aquæ in situla subjecta contentæ, pedibus 31. & una non circiter. Vinum autem paulò altiùs, puta 31. & duabus tertiis proximè remanentibus tuborum reliquis partibus superioribus veluti vacuis,

omninò ſicuti in hydrargyro deprehenſum erat. Rurſus autem mutati ſunt liquores in tubis, ut qui prius aqua is poſtea vino repleretur, & viciſſim: nec ideo quidquam in experimento mutatum eſt circa utramque altitudinem. Inclinatus eſt malus ſenſim, & ſenſim uterque tubus replebatur, aſcendente liquore, ut ſuper obtineret prædictas altitudines, ſecundùm perpendicularem menſuratas. Facta eſt quoque obſervatio in tubo 15. pedum, partim aqua partim hydrargyro repleto: ac tum, quoties ambo illi liquores ſimul plus ponderabant quàm altitudo pedum 2. & 7. 24. ſolius hydrargyri: aut quàm altitudo pedum 31. & unius nonæ, ſolius aquæ, quod eodem recidit; toties, poſito in ſcutella ſubjecta mero hydrargyro, ambo liquores in tubo ſic deſcenderunt, ut hydrargyrum quidem inferiorem tubi partem ſupra ſcutellam occuparet, ſecundùm altitudinem, quæ minor eſſet pedibus 2. & 7. 24. ſupra hydrargyrum extaret aqua, quæ altitudinem hydrargyro deficientem ſic compenſaret, ut ipſius aquæ altitudo contineret 13. & 4. 7. partem altitudini hydrargyri deficientem: tum ſupra aquam reliquum tubi remaneret veluti vacuum. Et quamquam ad hanc obſervationem adhibitus publicè fuerit tunc tubus 15. pedum; tamen illa poſtea in tubis quoque 4. aut 5. pedum facta eſt æquè eleganter. Namque ad hoc ſufficit, ut, dum initio hydrargyrum in tubum infunditur, illud non impleat quidem totum tubum; at idem altitudinem obtineat majorem pedibus 2. & 7. 24. reliqua verò pars tubi aqua repleatur: ſic enim res ſemper bene habebit; modo in ſcutella ſubjecta merum ſit hydrargyrum. Nam ſi huic imponatur aqua; aut ſi tubus aquæ immergatur, ſive totus, ſive ex parte tantum; tunc in omnibus obſervationibus, ſive merum hydrargyrum tubo includatur, ſive cum eo immittatur aqua, ambo illi liquores in tubo altius aſcendent, quàm ſupra dictum eſt; & auctio illa continebit unam partem qualium altitudo aquæ hydrargyro ſcutellæ ſuperpoſitæ continebit 13. & 4. 7. quandoquidem gravitas aquæ ad gravitatem hydrargyri, ſub æquali mole, ſe habet ut 1. ad 13. & 4. 7. His & multò pluribus obſervationibus diverſimodè multa cum diligentia exhibitis, & quater publicè repetitis, occluſum eſt os miſellis illis ſciolis, Neque tamen ideò quicquam certi ſtatui potuit circa ſpatium illud, quod apparet veluti vacuum, in quo fit motus ſucceſſivus corporum, & per quod tranſit lumen unà cum coloribus. Expectamus ergo dum tubi fabricentur, in quos quædam animalia intro-

tro-

tromittere posſimus ut videamus, an ibi vivere; ac præcipuè, an volare posſint Si enim volent, procul dubio corpus eſt, cui alæ eorum innitentur: aliàs merum videbitur vacuum, ut ab eo permitti tantopere abhorreant, ut quidvis potiùs quàm tale ſpatium ſine corpore admittant Nec deſunt, qui maluerint ad materiam quandam ſubtilisſimam recurrere, in qua & aer, & cætera corpora tàm dura quàm fluida innatent, dum per eorum omnium poros illa facillimè, & nulla prope reſiſtentia penetrat, prorſuſque omnia replet ſpatia. Quod quidem, quia gratis affirmant, ſemper licebit gratis negare; dum illi hujuſmodi materiæ exiſtentiam firmis rationibus ſtabilierint. Præſertim verò quia multis non difficilior videtur meri vacui, quàm talis materiæ exiſtentia, cujus neceſsitas aut uſus in rerum natura nullus apparet.

Quidquid ſit in eo jam ferè omnes conveniunt, quod, niſi merum illud ſit Vacuum, at certè id eorum corporum vacuum eſt, de quibus in philoſophia Peripatetica ſermo habetur; Puta Terræ, Aquæ, Aeris, Ignis, & Cœli: quodque in liquore, qui in obſervatione adhibetur, ſolius gravitatis, non autem alterius qualitatis habenda ſit ratio.

Cæterum non omittendum eſt, factam fuiſſe ab eodem D. de Paſcal hyerargyri obſervationem in tubis recurvis, quos communiter ſiphones vocamus: quibus hydrargyrum repletis tum ita inverſis, vt ambo orificia in hydrargyrum duabus ſcutellis contentum immergerentur, ventre ſiphonis in aere extante verſus ſuperiorem partem: ſiquidem venter ille ſupra hydrargyrum ſcutellæ utriuſque minus aſcenderet quàm pedibus 2. & 7. 24. perpendiculariter ſumptis; eſſentque ſcutellæ cum ſuo hydrargyro, ſecundùm eandem ſuperficiem horizontalem, diſpoſitæ, habità ratione ſuperficiei ſuperioris utriuſque hydrargiri in ſcutellis contenti: tunc ſtabat immotum totum hydrargyrum tam in ſiphone, quàm in ſcutellis contentum. Si verò altera ſcutellarum alterà altior eſſet: tunc ab altiori hydrargytum per tubum aſcendebat, & in depreſsiorem defluebat, donec vel totum exhauriretur, vel ambæ ſuperficies hydrargyri in ſcutellis contenti, ad horizontem, in unam ſuperficiem librarentur. At ſi venter ſiphonis ſupra utriuſque ſcutellæ hydrargyrum altior eſſet quàm pedibus 2. & 7. 24. is perpend. tunc, quod minimè expertis videbatur miraculum, ex utroque crure ſiphonis, hydrargirum in ſcutellam ſuam eò uſque recidebat, quouſque remaneret altitudo toties jam dicta pedum 2. & 7. 24. m ſupra hydrargyrum utriuſque ſcutellæ; ſive ipſum in utraque ſcutella in eodem plano horizontali ſtaret, ſive non: Venter autem ſiphonis appare-

parebat veluti vacuus inter duas partes hydrargyri hinc inde in cruribus siphonis contantas: quo in statu cessabat omnes motus. Tandem si venter siphonis supra unius scutellæ hydrargyrum minus altus esset, alterius verò, vel æquè altus, vel altior mensura prædictâ: tunc, pro varia altitudinis differentia, variæ phases conspiciebantur, quas recensere nimis longum esset. Nec dubium fuit, quin idem omninò in aqua, vel in alio quovis liquore fieret, si siphones debitæ altitudinis adhiberentur. Ne quis ergo putet in posterum, aquam ex uno latere montis quantumvis alti, posse, superato mentis vertice, beneficio siphonis firmissimi, deduci in uallem opposito montis lateri subjacentem: hoc enim supra altitudinem pedum 31. fieri non potest. Neque etiam supra hanc altitutinem ascendet aqua in tubis illis, qui communiter in puteis applicantur ad suggendam, & attollendam aquam, si machina adhibita suggat tantùm, non autem premat: nam premendo, poterit sanè aqua altiùs pelli, si machina debitè constructa sit, ac disposita.

His animadversis, inter multas quæstiones, duæ nobilissimæ inter eruditos agitari cœperunt. Prima, qui fieret, ut liquor, qui observatione adhibetur in certa quadam altitudine supra subjectum sibi in scutella liquorem, veluti inter vires quasdam contrarias libratus sustineretur, habitâ ratione ponderis ipsius liquoris, ad altitudinem ipsius in tubo determinandam? Secunda, qui fieret, ut quiescente liquore in debita sibi altitudine; si vel gutta ab eo descendat, admissa scilicet per os tubi quadam cujusvis alius liquoris levioris gutta; tunc reliquus liquor in tubo contentus, ad summum tubi subitò, & si hydrargyrum fuerit, magno cum stepitu ascendat; & tanta vi in ipsum fundum superius impingat, ut multos tubos, præcipue ex longioribus, fregerit, atque in aerem longè supra tubum exilierit: si que tubus illæsus supersit, rursus descendat liquor, & post aliquam motuum contrariorum reciprocationem secundùm ascensum, & descensum, quæ reciprocatio omnibus ferme experimentis familiaris est, quiescat: tum dimissa aliâ guttâ, ascendat rursus, minus tamen violenter: atque ita alternando per aliquot vices, donec totus liquor gravior ex tubo dimissus fuerit, & levior in locum illius ascenderit? Sed quia circa has quæstiones, eruditi diversissima sentiunt; & discussio opinionum longa est; ideo expectabo super hac re litteras tuas, ac tunc, si ita tibi videbitur, vltra progrediar, & si quid novi interea acciderit, quod tibi placiturum putem, illud narrationi adjungam. Vale Vir mihi colendissime, & me, ut hucusque fecisti, in posterum amare perge. *Parisiis 12. carl. Octob. anno 1647.*

DE INVENTIONE ARTIS Exhibendi Vacuum

NARRATIO APOLOGETICA VALERIANI MAGNI, FRATRIS CAPVCCINI

Ad

Nobilem & Clarissimum Virum Æ. P. De Roberval.



Vod hoc anno 1647. 12. Julii, Warsaviæ Typo vulgaverim, me esse primum, qui publicavi Vacuum, exhibitum in fistula vitrea, vertis, vir doctissime, defectui candoris, quippe quod hoc ipsum ab anno 1643. in Italia vulgatum sit, præcipuè verò Romæ, & Florentiæ; ac ea de re disputatum inter doctissimos viros Evang. Torricellum, & Angelum Ricci, cujus epistolam de ea quæstione A. R. P. Mersennus Ord. Minimorum miserit Parisios: Ego verò illis temporibus, quibus hæc agebantur, fuerim Romæ, conscius omnium, & conversatus cum doctis illis. Hiscè adiungis experimenta Vacui, eodem artificio celebrata Rothomagi à Nobilissimo viro D. de Paschal mense Ianuario, & Februario labentis anni 1647 ac demum Parisiis tua industria non solùm exhibita, verùm etiam aucta observationibus accuratioribus. Hiscè me agis reum laudis usurpatæ, quæ non mihi, sed aliis debeatur: Ego verò te redarguentem sic interpello.

Veni Romam 28 Aprilis anni 1642. Inde discessi prima Maii 1643. & eo ipso anno menses Iunium, & Iulium exegi Florentiæ: inde concessi in Germaniam primùm deinde in Poloniam; ac demum redii ad Vrbem ineunte anno 1645. vnde discessi eodem anno mense Septembri, redux in Poloniam.

Romæ non vidi, neque vnquam novi ex nomine Angelum Ricci: Florentiæ Evang. Torricellum nec vidi, nec nomine tenus vnquã cognovi: non quia viris illis desit claritas nominis, sed quod ego sim obscurus illis. Florentiæ habui commemorationem frequentẽ etiam cum Sereniss. Principe Leopoldo de pertinacia Peripatus in sententia Aristotelis contra ipsum visum, & tactum: imò quæsitum ibi, an consultũ foret

foret meæ Philosophiæ, si ea ex illa Civitate, sub auspiciis Sereniss. Magni Ducis Ætruriæ prodiret in lucem, nec tamen aliquando sonuit mihi in illa Vrbe vox ista, Vacuum.

Romæ A.R.P. Mersennus anno *1645.* nil mecum contulit de hoc experimento.

Cæterum, nil de hoc experimento vidi, aut typo, aut scripto exaratum aut per epistolam inter amicos communicatum. Consilium ergo de superanda impossibilitate Vacui, incidit mihi apud Galilæum, quod aqua nequeat per attractionem ascendere in fistula ultra cubitum decimum octauum, & ab usu libræ Archimedis, quam Cracoviæ anno 1644. dono accepi à Tito Linio Buratino, viro erudito in Mathematicis; quà occasione cognoui proportionem gravitatis inter aquam, & mercurium esse 1. ad 13. proximè: nec fuit tanti acuminis intellexisse, tubum cubitorum viginti, si aqua repleatur, redditurum duos: sin verò contineat argentum viuum, retenturum tertiam decimam partem cubitorum octodecim. Anni sunt octo, quibus, variè præpeditus, frustra dispono fabricam fistulæ, altæ ultra cubitos octodecim, & quatuor (scilicet ab usu libræ Archimedis) quibus quæro tubum vitreum altitudinis trium cubitorum. Biennium est elapsum à prima diligentia: nec tamen officina vitrearia prope Cracoviam aut voluit, aut potuit dare fistulam, congruam operi disposito. Adhibui ligneam, quam etiam num habeo, cernente inter alios Nobili viro Domino Hyeronimo *Pinocci*, liberalium artium cultori eximio. Verùm Mercurius stetit in illa, longè infra altitudinem debitam, eamque per singulas vices variabat, pro varia copia aeris attracti per poros ligni: quibus tamen non obstantibus, alia fistula ex eodem ligno fabricata, cujus longitudo non æquabat quinque partes quartas cubiti, nil mercurii, quo fuerat repleta, reddidit vnquam: & expertus sum pondus mercurii ex fistula, pervia aeri, premere digitum obturantis orificium infernum conatu penè incredibili: secus, mercurio in fistula vitrea suspenso à virtute prohibitiva vacui.

Demum, cùm Gaspar Brunorius Venetus, qui apud Reges Angliæ, Daniæ, & Succiæ suam in fabrica vitri celebrauit artem, euocatus Dantisco à Serenissimo REGE *Poloniæ*, venit Warsauiam, ab illo humanissimè accepi plures diuersæ altitudinis, & diametri tubos, ex quibus aliquos, quorum altera extremitatum protuberat: promiseratque Regi alios longitudinis cubitorum triginta: sed Brunorio coacto aliò transferre fornacem, adhibui interea metallicum.

Iis ergo

Iis ergo exhibui experimenta Vacui, Typo evulgata, non tamen in eum finem, ut docerem possibilitatem Vacui, sed ut inde arguerem falsitatis prima principia Physicæ Aristotelicæ: quapropter gaudeo, experimenta hæc esse antiquiora inter vestrates, firmarique vestra quoque auctoritate. Vitam quæro ex veritate, non laudem: at nolim exinde vituperium primæ inventionis, mihi arrogatæ contra meam conscientiam: in quem finem attexo duo fragmenta Epistolarum.

Adm. R. P. Simplicianus à Mediolano, ex Vicecomitum familia, nostri Ordinis Commissarius, & Procurator Generalis in Urbe, mihi nuncianti sæpefata experimenta respondet. 7. Septembris. proximè præteriti, in hæc verba latinè reddita: *Legimus cum nostra delectatione singularissima, ego & alii Patres hic Romæ commorantes, librum tuæ Adm. R. Paternitatis, quem aliis quoque extra Monasterium communicavimus præcipuè verò Illustriss. ac Reverendiss. Domino Vicesgerenti, & omnes existimamus, illum esse partum, dignum, &c.* Sunt in nostro Conventu Romano ducenti circiter Capuccinorum: duo Studia, unum Philosophiæ, alterum Theologiæ, præter alios præcipuos Patres, qui passim cò conveniunt ex toto Ordine, nec tamen unus extitit, qui experimenta illa aliunde scisset, quàm ex meo libello.

Adm. R. P. Petrus Martyr Vistarinus Doctor Theologus Ordinis Dominicanorum, litteris Papia datis præterito mense Semptembri, his verbis me affatur. *Vltima Epistola, quam accepi à meo fratre reddidit mihi unum exemplar Demonstrationis ocularis de possibilitate vacui: Res sanè, quæ primo aspectu visa est ridicula: quapropter rescripsi, me timuisse, ne deesset applausus, qui alioquin Auctori debetur. Sed mihi credat, Demonstratio illa ponderata, & accuratè examinata à Doctore publico meo Collega, eum induxit ad præparandum necessaria pro iisdem experimentis, disponitque Typis evulgare conformia: &c.* Et Papiæ Studium universale præcipuum totius Italiæ nec tamen innotuit illis, quid Toricellus, quid Ricci secum ipsi, aut cum aliis disputarent, aut scriberent de hoc argumento.

Accedit D. Alexander Mazzi Medices, vir præcipuæ nobilitatis, qui mense Augusto præterito, concitus famâ exhibiti spectaculi, me hic Warsaviæ accessit, ac rogavit, ut illud ipsum repeterem eo spectante, postulavitque exemplaria meæ Demonstrationis, & Epistolam meam ad Sereniss. Principem Leopoldum, gaudebatque fore se nuncium tantæ novitatis.

Biennio ab hinc R. P. Ioan. Baptista Adrianus Societ. Iesu discessit

Roma,ubi docuerat Rethoricam,venitque Warſaviam,ibiq; ſpectavit experimenta Vacui,velut inaudita : Ergo Capuccinum neſciviſſe quid Romæ innovatur in Philoſophia eſt poſſibile:ſiquidem id ignoravit Collegium Romanum Societatis Iesu.

Quid plura?ſunt apud nos plures Galli, ex quibus multi ingenio,& eruditione clari,qui Demonſtrationem meam laudarunt præcipuè à novitate.Ignoſcat ergo Tua Prudentia Valeriano, ſi id, quod ſuoptè judicio adinvenit,& perfecit , ignoravit fuiſſe prius factitatum ab aliis.Meus textus excipit privatam ſcientiam de hoc arcano, cujus non me dico auctorem.Sum fortaſſis primus , qui eam Typo publicam feci,diſtractis exemplaribus per majorem , melioremque Europæ partem : non aucupaturus laudem à demonſtrato Vacuo, ſed præparaturus duriora quorundam Peripateticorum ingenia ad tolerandam minus acerbè Philoſophiam meam,luci proximam. Dominus de Noyers vidit allegata documenta, ſcilicet, librum Galilæi, libram Archimedis,tubos ligneos,epiſtolas duas:teſtis inſuper oculatus omnium,quæ hic Warſaviæ contigere in demonſtratione vacui. Vale, Vir,quem dudum amo,& veneror,tibi licèt ignotus. Warſaviæ,Non.Novembr.1647.

VALERIANVS MAGNVS MEDIOLANENSIS, De

VITRO MIRABILITER FRACTO

Ad

Petrum Martyrem Viſtarinum Ordinis Sancti Dominici

Virum clariſsimum.

ES,Vir eruditiſſime,de illorum numero , qui veritatem candore eximio proſequuntur,quos amo , & veneror. Experimenta enim de poſſibilitate vacui,à me Tuæ Eruditioni communicata, examinaſti,ſubmotis iis affectibus , qui plurimorum mentes evertunt à veritate:quapropter hæc mea de eadem materia narratio,& argumentatio prodit ſub tuo nomine,ut vel hinc intelligas obſervantiam & amorem meum erga te.

Præterito menſe Iulio,anni ſcilicet 1647.dum in vitreo Tubo committe-

mitterem ad invicem Naturam, prohibitivam vacui, cum Natura motiva hydrargiri ad centrum, fracta est pars Fistulæ vitreæ extuberantis elliptice, ea sectionum uniformitate, ac mysterio, ut spem faciat lucri Philosophici, non minoris eo, quem confert ipsa Demonstratio ocularis de possibilitate vacui. Facti veritatem refero, & meum judiciũ adjungo, quatenus tua interventione exponatur examini & acri judicio Facultatis Philosophicæ celleberrimæ, ac Regiæ Vniversitatis Papiensis, in qua tu quoque agis Professorem publicum.

Erigebatur tubus super plano orizontis plenus hydrargiro, dum osculum ejus, in ima parte subjecti argenti vivi , digito meo clauderem: quo retracto, defluxit id omne , quod natura prohibitiva vacua nequit suspendere, & parte tubi superiore vacua, supremam extuberantem vidi scissam in plures partes, cohærentes tamen, ita ut, tubo elevato ab hydrargiro ad regionem aquæ , hæc sursum acta una cum portione argenti vivi, &, impacta summitati scissæ, eliserit tres scissuras quas, deciduas in aquam subjectam, etiamnum conservo integras, congruas fracturæ præfatæ.

Tuberculum illud refert magnitudinem , ac figuram ovi gallinæ domesticæ, in quo numerantur scissuræ vinginti octo , coeuntes in duobus punctis verticalibus , æquidistantibus tamen à puncto medio paulò plus latitudine grani hordeacei : scilicet distantia duorum punctorum verticalium ab invicem non æquat lineam , longam tria grana hordeacea.

Ab unoquoque puncto, ceu à duobus centris , prodeunt scissuræ quatuordecim , velut lineæ ductæ in sphæra à punto verticali ad imum.

Horum verticalium arcuum nullus attingit punctum imum: tres non perveniunt ad paralellum maximum : reliqui intersecant illum, & infra concontinuantur plus minus.

Duo integrantur ex duabus scissuris, nimirum superiore deflectente à rectitudine arcus, inferior cœptum arcum directè continuat, licet scissura inferior non communicet cum superiore.

Nullus arcuum verticalium sic congruit alii, ut conjunctim constituant integrum circulum ellipticum.

Spatium inter duo hemisphæria intercipitur quasi uniformiter à quatuor arcubus, à vertice ad paralellum maximum sensim , ac uniformiter, paululum ab invicem secedentibus.

Scissuræ sunt conspicuæ, penetrantque totam vitri crassitiem, sicq;

partes

partes scissæ cohærent, ut aer nequiverit penetrare: quandoquidem aqua ac mercurius sursum acta eliserunt aliquot partes. Ejusmodi est mei Tubi scissura, quam inscripsi mirabilem.

Verùm, cum inductio non fiat ab unico individuo, opportunè accidit mihi alia similis fractura, sed minus conspicua, tùm quod tuberculus Fistulæ sit multò minor superiore, tum etiam quod abierit in decem partes planè ab invicem separatas, quarum tamen vix est aliqua, quæ non referat arcum verticalem, & nonnullæ sunt præcisè tales: sed quia vitri crassities, ac mixtura est difformis, non potuit natura vacui prohibitiva ipsum scindere uniformiter. Distinctionis verò duorum punctorum verticalium nullum possum in hac secunda fractura notare vestigium, nisi illas glutine subtili committam ita, ut cohæreant: quod tametsi fiat, fortassis non prodibit dualitas punctorum, eo quod non habeam omnes partes, in quas scissum est vitrum illud. Verùm quicquid sit de qualitate hujus secundæ fracturæ, utrãque subiicio meo ratiocinio, quatenus utramque examinem secundum rationes sempiternaliter certas, & incommutabiles. Quæro igitur cujusmodi naturæ sit id, quod fuit principium fractionis expositæ, non enim latet tàm profundè, quin, adhibito congruenti ratiocinio, cogatur prodire in apertum, quod tamen audentius promitterem, si Tuæ Eruditioni essent comperta potiora principia meæ Philosophiæ, cujus edidi primam dumtaxat partem: quapropter præmitto nonnulla.

Corpora naturalia distinguuntur naturis inexistentibus iisdem corporibus, quæ sunt immediata principia diversorum motuum: puta, Ratiocinari, Sentire, Vegetare, Locomovere, Lucere, & reliqua ejusmodi.

Corpora, qua corpora componuntur ex partibus, quarum quælibet confert toti aliquid molis: ipsa verò corpora contiguantur ad invicem. Porrò sine motu locali nil continuatur, discontinuatur; contiguatur, & discontiguatur: quapropter hæc quatuor sub uno motu locali complector. Hisce præmissis, peto mihi concedi hanc propositionem.

Corpus, quà corpus, est per se locomobile. sic igitur argumentor:

Corpus, quà corpus, est per se locomobile,

Id, quod est per se locomobile, est impossibile esse locomotivum.

Ergo

Ergò corpus, quà corpus, non est loco motivum. Principium locomotivum, quatenus non est corpus, est spiritus, qui tamen denominatur corporeus, eo quod sit in corpore.

Hæc unica Demonstratio revelat ingentia Principia locomotiva, quæ occuluntur sub trina dimensione corporum naturalium.

Partes Terræ continuantur in unam sphæram, & discontinuatæ, revocantur ad suum totum à Natura, quam impossibile est esse corpus. Numera stellas, & corpora integrantia mundum, & scito securus, ea continuari, discontinuari, contiguari, & discontiguari, seu quomodolibet aliter loco moveri à Natura, quæ non est corpus.

Natura ergo locomotiva locomovet corpus, quà corpus,

Id verò, quod locomovet corpus, quà corpus, necessariò attingit singulas partes corporis loco moti,

Ergo Natura locomotiva attingit singulas partes corporis loco-moti.

Scilicet, Natura hæc est in corpore, non ut locatum in loco, sed ut Virtus in Ente imperfectiore.

Quæ virtus, seu Energia, penetrat totum corpus à se motum, totaque adest singulis ejus partibus, ita ut sit extensa ad omnes, & singulas partes corporis loco moti. Ea scilicet natura, quæ est in parte A, est & in parte B, & in singulis, ac in toto corpore.

Magnitudo autem corporis non provenit ab extensione partium ejus: nulla enim earum extendit se ad aliam: sed singulæ seorsum sunt minimæ: quæ à natura loco motiva applicatæ, seu continuatæ, sunt unum totum, quod nuncupatur Corpus: idque habet magnitudinē non ex se, sed à natura continuativa; nec veram, sed umbratilem. Corpus enim, si cogitetur seorsum à natura continuante, non est unum Ens magnum, sed plura Entia minima: neque à Spiritu fieret unum, si Spiritus non esset extensus indivisibiliter ad omnes, & singulas ejus partes. Cum autem magnitudo alia sit Spiritus, alia corporis nulla est inter utramque proportio, quæ exhiberi possit in numero, & in lineis. Magnitudo Spiritus est planè indivisibilis: corporis est divisibilis. Magnitudo Spiritus est distinguibilis in infinitum, quatenus pars Spiritus, quæ est in minima parte corporis, est totus Spiritus, idem numero extensus ad singulas partes dati corporis. Quæ verò Geometræ demonstrant de Magnitudine, non conveniunt magnitudini corporum, nisi secundum analogiam: magnitudini verò Spiritus debent accomodari cum congrua declaratione.

Quoniam verò naturæ locomotivæ sunt plures, non tamen ejusdem rationis, harum duas dumtaxat noto differentias. Sunt nonnullæ, quæ plures, diversasque partes subjecti corporis movent, ordinantque ad unum finem. Principium vegetativum est naturæ talis, movet enim innumeras, diversasque partes corporis vegetabilis in ordine ad propagandum (ficulneam cogita) lignum, corticem, folia, quatenus tandem edat ficus, quorum gratia fiunt reliqui motus in corpore ficulneæ.

Sunt aliæ, quæ movent aliquam dumtaxat partem alicujus corporis: movent autem (si non moveantur, & ordinentur à superiore natura) temerè, seu nullius finis gratia. Habes exemplum in vapore, quem aqua calefacta exhalat. Ille non est unum corpus continuum, sed confusa congeries partium aquæ innumerabilium, quarum quælibet movetur à proprio calore, ceu à natura spirituali, producta à calefaciente. Hi calores movent sibi subjectas portiunculas aquæ, nullius finis gratia; tametsi à natura superiore ordinentur, v. g. ad pluviam, quæ fæcundet agrum.

Ingens sanè differentia naturarum harum. Priores, sunt illæ substantiæ, quæ à Philosophis nuncupantur Supposita, velut Entia completa, ita ut ex multis ejusmodi naturis non sic possit integrari unum Ens, ut ex multis partibus integratur unum corpus, magis extensum, & ex multis caloribus unus calor magis intensus. Quis ex multis hominibus, leonibus, ficulneis constituat unum hominem, unum leonem, unam ficulneam, majores, aut intensiores homine, leone, ficulnea simplicibus? Hinc dignoscitur alia prærogativa ejusmodi naturarum, scilicet, nulla accidit alteri. Quis hominum ita inhæret alteri, ut hic sit substantia, alter verò accidens illi inhærens?

E diverso illæ Naturellæ, moventes temerè nullius finis gratia, copulantur aliis, & fit tertium è duabus, aut pluribus, quod movet intensius eandem, v. g. particulam aquæ, natam suscipere plures hujusmodi gradus caloris. Ejusmodi ergo naturellæ revera accidunt substantiis completis, à quibus dirigitur illarum motus activus.

Demum submoveo scrupulum, oriturum ex fractione, seu motu corporis, non à Spiritu, sed ab alio corpore, cujus experimenta sunt vulgaria, & penè continua, præcipuè circa vitra, quibus vix est aliquid fragilius, & vix franguntur, quin evidenter frangantur ab

alio

alio corpore. Porrò non eſt, qui ignoret, corpora moveri à corpore tractione, & pulſione. Baculo pello lapidem; & Equus trahit currum, licet baculus pellens, & equus trahens ſint corpora, moveantque ut corpora, quatenus corpora ſe ſe nequeunt penetrare. At verò corpora pellentia, & trahentia non moventur tractione, & pulſione, ſed à ſpiritibus penetrantibus ſingulas partes corporum trahentium, & pellentium. Anima hominis movet brachium, baculumque quo pellitur lapis. Anima equi movet corpus ſibi conjunctum, quod trahit currum: Hæc præmiſerim inveſtigaturus naturam Fractoris mei vitri. Sic igitur argumentor.

Principium fractionis mei vitri non fregit pellendo, aut trahendo.

Corpus frangens aliud corpus, neceſſariò illud frangit pulſu, aut tractione.

Ergo principium fractionis mei vitri non eſt corpus.

Ergo eſt natura ſpiritalis. Spiritalem denomino hoc loco, non alio ſenſu, non alio titulo, niſi quod non ſit corpus.

Principium fractionis mei vitri ordinavit plures ſciſſuras ad unum finem,

Ordinans verò plures ſciſſuras ad unum finem, neceſſariò eſt ſubſtantia completa,

Ergo principium fractionis mei vitri eſt ſubſtantia completa.

Philoſophus enim, qui examinar fracturam mei vitri, intelligit evidenter eſſe factam non à corpore, ſed à ſpiritu, penetrante omnes, ac ſingulas ejus partes, vim præcipuam exerente in duobus punctis verticalibus, & deinceps uniformiter languente.

Porrò naturarum, quæ ſunt locomotivæ, & ſubſtantiæ completæ, exiſtunt plures differentiæ: quapropter inquiro illam, quę conveniat Fractori mei vitri: ipſa verò fractio ſupra expoſita ſuggerit mihi argumentum, nimirum meum vitrum ſciſſum eſt in momento dati vacui: hinc ſic argumentor.

Principium fractionis mei vitri ipſum fregit regulariter in arcus viginti octo, ſphæricè ductos à duobus punctis verticalibus, quatenus flecteret concavam ſupremam ſuperficiem tubi ad contiguationem labentis hydrargiri:

Id quod frangit vitrum, regulariter, in arcus viginti octo, ſphæricè ducto à duobus punctis verticalibus, quatenus deflecteret conca-

vam

vam ſupremam ſuperficiem tubi ad contiguationem labentis hydrargiri, neceſſariò eſt natura prohibitiva vacui.

Ergo principium fractionis mei vitri eſt natura prohibitiva vacui.

Porrò notavi in rerum natura, differentias ſpirituum eſſe ab invicem diverſas valde.

Suppono, nullam naturarum eſſe à nobis cognoſcibilem, niſi ex motu, cujus ipſa ſit principium. Sunt principia productiva luminis, motiva corporis ad centrum, motiva à centro, motiva circa centrum alia ſunt continuativa partium corporis alia diviſiva corporis in partes: alia motiva, & ordinativa partium ad mixtionem: alia ad vegetationem; alia ſunt ſuſceptiva lucis in imò naturæ ſpiritalis, qua ſuſcepta, lucent immanenter, videndo, imaginando, vivuntque cum multiplici jucunditate. Ego ipſe vitaliter experior lucem, quam intelligo æternam, & incommutabilem, meque extendo ad omnem æternitatem & immenſitatem. Sunt, inquam, naturæ ſpiritales principia motuum, diverſorum ab invicem, quos tamen bipertior hoc modo: lucere; movere à centro; ad centrum; continuare partes corporis; &, ſi qui ſunt alii ejuſmodi motus, fiunt ſecundum directionem linearum rectarum. Secus dicendum de vegetatione, ſenſatione; imaginatione, intellectione & ſimilibus. His præmiſſis ſic argumentor.

Principium fractionis mei vitri, cohibiturum vacuum, preſſit ſupremam tubi partem ad centrum, ſecundum rationem linearum rectarum.

Id quod, cohibiturum vacuum, premit ſupremam tubi partem ad centrum, ſecundum rationem linearum rectarum, neceſſariò eſt natura motiva ſecundum directionem lineæ rectæ.

Ergo principium fractionis mei vitri eſt natura motiva ſecundum directionem lineæ rectæ.

Concluſionem hanc demonſtro alio argumento, quod ducitur, non à fractione vitri, ſed à prohibitione vacui, quam ſupra demonſtravi propriam eſſe hujus naturæ. Sed præmitto facti veritatem hiſtoricam. Tubus vitreus, erectus ſuper plana ſuperficie ſubjecti liquoris, parte ſuperiore vacuus ab omni corpore, inferiore verò plena mercurio, ſeu alio quovis liquore, ſuſpenſo à natura prohibitiva vacui, ſecundum rationem gravitatis diverſorum liquorum: Hic (inquam) tubus ſi inclinetur ad ſuperficiem ſubjecti liquoris, liquor ſubjectus aſcendit præcisè uſque ad illam partem tubi, à qua linea per-

perpendicularis, producta ad planum liquoris, sit æqualis cylindro mercurii stantis in tubo erecto. Hunc modum, hancuè moderationem quisque potest experiri, ac videre propriis oculis: vt verò id possim convolvere paucis verbis in vnum syllogismum aio, prohibitionem vacui fieri per lineas erectas super plano Orizontis: argumentor autem hoc modo.

Principium fractionis mei vitri prohibet vacuum, secundùm rationem linearum, erectarum super plano orizontis.

Id, quod prohibet vacuum secundum rationem linearum erectarum super plano Orizontis, necessariò movet localiter secundùm lineas rectas à centro Terræ ad circunferentiam.

Ergo principium fractionis mei vitri movet localiter secundùm lineas rectas à centro Terræ ad circunferentiam.

Ergo loco movet secundùm lineas rectas.

Quoniam verò motus localis per lineam, quæ ducitur à centro Terræ ad circunferentiam, vel à circunferentia ad centrum, potest intelligi vel ad centrum, vel à centro, oportet demonstrare de principio fractivo mei vitri, vtrum, prohibendo vacuum, moveat subjectum liquorem ad centrum, vel à centrò Terræ: scilicet, vtrum corpus contiguandum moveat ad Terram, vel â Terra? sic ergo argumentor.

Principium fractionis mei vitri partem liquoris applicat sphæræ terrenæ, relicto vacuo in superiori parte tubi.

Id, quod partem liquoris applicat sphæræ terrenæ, relicto vacuo in superiori parte tubi, necessariò naturaliter tuetur virtute limitata contiguationem corporum mundanorum cum orbe Terrarum.

Ergo principium fractionis mei vitri naturaliter tuetur virtute limitata contiguationem corporum mundanorum cum orbe Terrarum.

Non enim delapsa parte liquoris, quam non potest suspendere, reliquam conservat pendulam à vertice tubj, relicto vacuo in parte inferiore: sed liquorem contiguat cum Terra, à qua, velut à basi, erigit in tubo partem illam, quam potest elevare ad supplendum spatium tubi, vacuum ab omni corpore. Conclusionem hanc infra demonstrabo euidentius. Porrò ex supra demonstratis infero aliam conclusionem, quæ evacuatura sit eam admirabilitatem, quam ingerit determinata altitudo liquoris in tubo sub quavis magnitudine diametri ipsius tubi.

Principium fractionis mei vitri totum adest singulis partibus liquoris, infusi tubo, quas localiter movet ad rationem linearum à centro terræ ad circunferentiam, virtute limitata.

Id quod totum adest singulis partibus liquoris, infusi tubo, quas movet ad rationem linearum à centro Terræ ad circunferentiam, virtute limitata, necessariò singulas supremas partes dati liquoris, in tubo cujusvis diametri, movet ad eandem distantiam à centro.

Ergo principium fractionis mei vitri singulas supremas partes dati liquoris, in tubo cujusvis diametri, movet ad eandem distantiam à centro.

Hoc arcanum prodit apertius, si cogitemus pyramidem consurgentem à circulo, cujus diametet sit longa passuum geometricorum, v.g. decem millia, latera longa duas terreni orbis semidiametros, pars verò interior sic cava. Cogitemus, (inquam conum hujus pyramidis immitti per superficiem Oceani ad centrum terræ, Deumque annihilare quidquid aeris intercipitur à concava superficie pyramidis, aio principium fractionis mei vitri repleturum aquis marinis vacuam partem cavæ pyramidis vsque ad determinatam altitudinem, ita ut superficies aquarum, sic elevatarum, necessariò sit convexa secundùm rationem linearum, ductarum à centro Terræ ad singula puncta aquarum suspensarum, æquè distantium à centro.

Hæc argumentando demonstraverim de nobili fractore mei tubi vitrei, retulerimque illi eatenus gratiam pro beneficio mihi collato ea fractura, verè admirabili, quam imitari sit planè impossibile vlla arte humana.

Sanè liceret ratiocinium hoc propagare in plures conclusiones, nobiliores illatis: verùm nolo eas præripere meæ philosophiæ, in qua hæc, & alia ejusmodi demonstrantur illo apparatu, quem hæc arcana requirunt. Tamen ne Eruditioni Tuæ abscondam præcisam meam sententiam de hoc eximio Ente in rerum natura, ajo, me existimare, fractorem mei tubi vitrei esse naturam illam, quam Creator præfecit sphæræ terrenæ, cujus energia præcipuè consistat in continuandis partibus simplicibus, ac indivisibilibus corporis terreni, & in applicandis aquis ad superficiem terræ, & aere ad superficiem aquarum, quorum corporum contiguitatem tueatur, viribus tamen limitatis.

Hæc ergo natura, quæ fregit meum vitrum, eſt illa ipſa, quæ in Italia, in Gallia, in Polonia, præſtitit nobis ſpectacula jucundiſſima vacui, cum limitatione præpediti, intra noſtros tubos. Ego enim, ſupra omnem formidinem erroris, certiſſimè, & evidentiſſimè intelligo, ac ſcio, qua Philoſophus, rem per cauſam cognoſcendo, Corpus, qua corpus, & partes ejus, eſſe per ſe locomobiles & conſequenter implicare contradictionem, corpora, eorumque partes, eſſe locomotiua: ſcilicet, ſi terrenæ ſphæræ partes ſeparentur omnes, æternùm manebunt ſeparatæ, ſi à natura ſpirituali non moveantur ad continuationem: continuatæ verò, æternùm manebunt continuatæ niſi à natura ſpirituali diſcontinuentur. Corpora verò quieſcentia, quieſcent æternùm, ſi non moveantur à natura ſpirituali: ſin verò moveantur de ſe non reſiſtunt moventi.

Partes corporum ſunt planè indifferentes ad continuationem, & diſcontinuationem: & corpora ad motum, & ad quietem. Inclinatio ſive partium ad continuationem, ſive corporum ad motum, vel eſt natura ſpiritualis, vel eſt chimæra. Vis, inſita partibus, ſive corporibus, ſympathia, antipathia, gravitas, aut levitas, & alia ejuſmodi, quomodolibet nominata, vel ſunt naturæ ſpirituales locomotiuæ, vel chimæræ. Dico naturas, quia ut omnis natura eſt principium motus, ſit omne principium motus dici debet natura. Porrò principia illa motuum, conſervativa tàm nobilium ſyſtematum in natura univerſali, nemo ſine errore pudendo aſſeruerit, aut exiſtimarit accidentia.

Sed quorſum hæc? Cataſtrophen inſtituo in fabula, quam nos *Philoſophi* exhibemus humano generi. Scæna hactenus viſa exhibebat naturas in corporibus, claudebatque omnia creata principia motuum naturalium intra convexam ſuperficiem vltimi Cœli. Ex hac ſcæna cõclamatum eſt contra auctores exhibiti vacui in tubo vitreo, velut ſubtraxerimus fundamenta, ſeu baſim mundo. Ego verò ſentio, naturas non ineſſe corporibus, ſed corpora ineſſe naturis: continere enim, ſic dicit perfectionem, ut contineri notat imperfectionem. Natura (ut dixi) eſt ſpiritus. qui non eſt in corpore ut locatum in loco: non eſt in corpore, ut Ens imperfectum in ente imperfectiore: neque corpus eſt in ſpiritu ut locatum in loco, ſed vt ens imperfectum in ente perfectiore, ut mobile in movente, ut ordinabile in ordinante, regente, utente, & abutente. Nimirum, natura ſpiritualis ſuà exten-

ſione, ac magnitudine indiviſibili, velut ſphæra ſuæ activitatis, intro illam convolvit corpora, à Creante ſuo imperio ſubiecta, latiuſque patet ſphæra illa quàm magnitudo corporis ſibi ſubjecti: ita ut, quàm eſt impoſſibile dari vacuum in natura à ſphæra activitatis omnis ſpiritus, tàm ſit facile, ac naturale, dari in ſphæra activitatis vacuum ab omni corpore. Repeto: Magnitudinem ſpiritus, nomino ſphæram activitatis ejus. Magnitudo Dei eſt infinita: Spirituum verò creatorum limitata. Sanè crediderim, cuilibet aſtro præfici ſpiritum continuatiuum partium illius, & fortaſſis contiguatiuum corporum aliquorum illo aſtro circumjacentium: dum verò ad ſingula aſtra eatenus applicantur quædam circumjacentia corpora, quis certò ſciat, an medii hiatus inter aſtra, naturaliter admittant ſpatia, vacua ab omni corpore? Sanè fractor mei vitri hydrargyrum ad cohibendum vacuum non erigit vltra determinatam altitudinem, nec aquam vltra tantò altiorem, quantò mercurius gravior eſt aqua: quo vigore natura ſufficienter occurrit neceſſitati terreni orbis, & mundi. Sed hiſce ſiſto hanc evagationem à conſtituto themate.

Vale, Gentis Viſtarinæ germen nobile. Dabam Varſaviæ Kal. April. *1648.*

VALERIANI MAGNI

EXPERIMENTA

DE

INCORRVPTIBILITATE AQVÆ.

Ad Peripateticum Coſmopolitam.



Ctavus menſis decurrit ab editione meæ Demonſtrationis ocularis de poſſibilitate Vacui, nec tamen vllus exiit ſuccurſum Ariſtoteli, laboranti ſub vitrea fiſtula: quapropter ſuccedo ad alia experimenta, quibus expendo prima principia veſtræ *P*hiloſophiæ: in qua diſquiſitione te deſidero inſpectorem, ſed mitem, & veritatis amantem.

Exordior Aquam, Vir eruditiſſimè, aio incorruptibilem. At materia prima, ex veſtra ſententia, eſt ſubjectum, ex quo generantur etiam partes Terræ, Aquæ & Aeris: quæ corpora plerique Philoſophorum, antiquiores Ariſtotele, exiſtimarunt nec generari, nec corrumpi, ſed miſceri dumtaxat, unde ab illis dicta ſunt Elementa: quapropter Quæſtio,

Vtrùm Terra, Aqua & Aer generentur, & corrumpantur ad invicem, ſi determinetur affirmativè, neceſſariò inducit materiam, quæ ſit ſubjectum illarum tranſmutationum eſſentialium: ſin verò concludatur negative, non datur alia materia prima, quæ ſubjiciatur agentibus naturalibus, præter Terram, Aquam, & Aerem. Ignem non connumero, quia ejus ſphæram ignoro.

Porrò mihi ſedulò legenti, ac conſideranti librum, factum publici juris à Creante, occurrunt plerique motus naturales à calore in Aquā, ex quibus incorruptibilitas Aquæ videtur inferri. Porrò ſi Aqua non corrumpitur, eſt certum, ac evidens, quod nil generetur ex Aqua, & Aqua non generetur ex ullo ſubjecto: Neque enim poteſt quippiam generari ex Aqua, Aqua non corrupta: neque eſt ulla neceſſitas Aquæ generandæ, ſi ea ſit incorruptibilis: quapropter una incorruptibilitas Aquæ evertit univerſam Phyſicam Ariſtotelis: ita ut ſit tuarum partium examinare accuratius experimenta, quæ ſubjungo. Deſidero ergo tuam ſententiam, quippe qui publica auctoritate invigilas, & inveſtigationi veritatum latentium in Philoſophia, & defenſioni earum, quas Ariſtoteles eduxit in lucem.

Expoſui ſcutellam, ſemiplenam aqua, aeri frigidiſſimo, concrevitque aqua in grumum congelatum, inſtar ſegmenti ſphærici, undequaque ſeparatum à ſcutella, (id non fit, niſi in ſummo frigore, neſcius, an ejuſmodi congelatio acciderit ob aliam cauſam) quod tamen non ſic adæquabat capacitatem ſcutellæ, ut eam adæquabat aqua, necdum congelata; ſed vacuo relicto ſuppleto nova aqua, hanc judicavi tertiam circiter partem ejus, quam primò expoſueram in ſcutella, quaſi vi frigoris decreviſſet ex tertia parte.

Deinde conſideravi grumum congelatum, adhibito vitro, magnificiente ſpecies viſibiles, cujus beneficio notavi innumeras, evidentiſſimaſque partes in illa glacie, reliquis magis perſpicuas, quas adhibita acu (ſunt enim viſibiles etiam ſine vitro) obſervavi vacuas tùm à glacie, tùm ab aqua; & conſequenter aut vacuas ab omni corpore, aut repletas aere.

Hoc exprimentum videtur inferre Aquam ex se non esse corpus liquidum, sed impervium, ac solidissimum, quod tamen liquescat admixtione aeris, facta à calore, quo deficiente fiat separatio aeris ab aqua, ea concrescente in gelu, sibi connaturali, intra cujus soliditatem plures portiones aeris intercipiantur à superficie, quæ ante partes profundiores constringitur frigore, tametsi uberior portio aeris egurgitans, deordinet glaciei planitiem, ut consideranti hæc experimenta patet ad oculum.

Propendo in hanc sententiam eo etiam argumento, quod nullum corporum sim expertus simpliciter inflexibile, præter glaciem: Nimirum sola Aqua congelata est inflexibile corpus, tametsi extendatur secundum longitudinem, & latitudinem quantumcunque, quantulacunque sit ejus crassities: nam pressum, si non frangitur, non tamen dehiscit, aut cedit ullo modo.

Examinaturus ergo vim caloris in Aquam, cum primis observavi, Calorem esse divisivum corporis cujusque in partes minutissimas, & ut plurimum in eas, quas nec visu nec tactu possumus percipere. Cineres, & caligo ex flamma, docent divisionem partium terrestrium. Vapores, partium aquearum: Rarefactiones, partium aerearum: ita ut Calor de se non moveat componendo, sed dividendo corpora.

Quoniam verò Calor videtur dividere, ut misceat elementa secundum partes minimas, suspicior, calorem intentissimum haud separare partes aquæ minimas à partibus aeris minimis: quandoquidem frigus efficiat hanc separationem: motus enim moventium contrariorum necessariò sunt contrarii: quapropter si fornaci ardenti, injiciatur gutta aquæ, existimo, calorem intensissimum rarefacturum partes aeris mixtas aquæ, non tamen separaturum partes minimas aquæ à minimis aeris, licet non putem, spiritu caloris explicare suam sphærulam ex minima parte aquæ tam late, ut explicat ex minima parte aeris, qui ex mea sententia solus inter elementa rarescit, eo modo, quem innuo, nec tamen declaro, aut demonstro. Hinc animadverto, aerem mixtum aquæ posse vi caloris sic rarefieri, ut credatur novus aer, generatus ex aqua, corrupta usque ad nudam materiam peripateticam: quapropter attentissimè legi, ac consideravi hunc textum Codicis philosophici, scilicet, motum aquæ à calore, eo stylo, quem declaravi in prima parte meæ philosophiæ,

Adhibui vas vitreum rotundum, collo, tereti, longo palmum sesqui alterum,

alterum, oſculo aperto. Hujus vaſis, repleti aqua, collum merſi aquis, exiſtentibus in pelui, totumque vas inclinavi ad planum orizontis, oſculo tamen occupato aquis, ne ſorberet quidquam aeris. Deinde applicui carbones ardentes vitro, ea parte, qua eſt capaciſſimum, & obſervavi accuratiſſimè motus omnes ab igne in aquam.

Cum primis incaleſcit aqua, & plures conſiſtunt immotæ in partibus concavis, quæ magis calent: Hæ verò, aqua vix tepida, per mediam aquam moventur ad ſupremam partem vaſis, in qua fatiſcunt in aerem conſpicuum, qui creſcens ex continua ſerie bullarum ſuccedentium, occupat ſucceſſivè alias partes vaſis vitrei, donec ejecta ſit tota aqua, bullis creſcentibus numero, magnitudine, ac velocitate; ſecundum proportionem intenſioris caloris. Demum, remoto igne, aqua magno impetu ex pelui ſurſum remeat per collum vaſis, quod repletur quaſi totum.

Hos motus ab igne in aquas examinavi accuratè, & judicavi, id, quod ex bullis occupat ſupremam partem vitri, eſſe verum aerem; nam cùm removiſſem ignem, & invertiſſem vas, reliqua parte plenum aqua, pars vacans aqua ſemper obtinebat regionem vitri ſupremam, quam aer ſemper ſibi vendicat. Iudicavi pariter, recurſum aquarum ad partes vaſis vitrei, altiores illa aqua, quæ eſt in pelui, fieri à Principio prohibitivo vacui, ſurſum pellente aquam, occupaturam ſpatium, deſerendum ab aere, condenſando ob remotionem ignis. Hæc (inquam) ſepoſui ab omni quæſtione.

At verò dubitavi vehementer, an aer, qui ſaliebat in bullas, ſit ab igne generatus ex aqua, aut ſeparatus ab aqua aut certe ab igne immiſſus per poros vitri. Illas rationes dubitandi, quas non habeo ab effectu, non adduco, ſed eas tantum, quas ad oculum notavi. Notavi ergo, nullam bullarum intra profunditatem aquæ eſſe non ſphæricam: nullam bullarum generari ſphæricam: ſed exordia illarum eſſe hemiſphærica, protuberantia ab illa parte vitri, quæ ab igne maximè calet, quaſi ignis, reſeratis poris vitri, urgeat aerem intra vas: vel certe aer, mixtus aquis, rareſcat ingenti vi caloris. Hiſce tamen argumentis opponebam ſententiam, communem omnibus Philoſophis; hærebamque ſuſpenſus inter pelvim, & Peripatum. Mihi autem volventi mentem in omnem partem, ſicunde alluceret ratio aliqua evidentior, incidit novum experimentum, quod pote ſit dirimere quæſtionem haud inevidenter.

Appoſui igni Ahenum plenum aqua, in cujus medio collocavi vas

vitreum,

vitreum, pariter plenum aqua, ratus, hanc non posse ebullire, quantumcumque aqua in aheno bulliat, si verum sit, ebullitionem fieri dumtaxat ab aere, non generato ex aqua, sed inducto per poros vitri: nam vitrum in aheno ambiunt, non aer, sed aquæ. Adhibui ergo ignem vehementissimum, &, aquis ferventissimè bullientibus in aheno, illæ, quæ erant in vase vitreo, tametsi calerent intentissimè, quiescebant tamen sub immota superficie. Nimirum, non aderat aer, ambiens vitrum, per cujus poros penetraret, sed aqua, quæ poros vitri, alioquin reserabiles à nimio calore, oppleret, ac reficeret humore obtundente siccitatem, & calorem ignis.

Hæc observavi sæpius, nec tamen deposui multam formidinem erroris: scilicet, ingravescente & premente auctoritate totius Peripatus. Quid si (mihi objiciebam) aqua, media inter ahenum, & vas vitreum, obtundat acrimoniam caloris, necessarii ad rarefactionem aeris admixti aquæ? Excogitavi ergo aliud experimentum. Justam portionem chalybis, igniti quoad fieri potest, mersi aquis illis, quæ in vase, locato in medio aheni ferventissimè ebullientis, bullire nolebant: & notavi evidentissimè, aquas illas elevare à fundo, ubi jacebat chalybs, fluctus vehementes, & præaltos, non tamen ullam bullam, præter nonnullas, quas aqua, sursum acta, recidens semper efficit, tametsi sit frigidissima.

Hisce à me consideratis, mente non præoccupata, sed intenta veritati, objeci huic experimento vapores (quandoquidem bullæ fatiscunt Aristoteli) qui exhalantur ab aqua calefacta, velut sint prima rudimenta aeris, generandi ex aqua: Quapropter implevi ampullam vitream aqua calidissima, quam, inverso, ac clauso orificio, mersi aquis in pelui, perinde caladissimis, ita ut nil aeris subintraret vitrum, observaturus, an vapores à calore, peterent, & occuparent (ut bullæ) supremam regionem ampullæ. Stetit ergo ampulla in pelui pluribus diebus, nec tamen in ejus summitate visa est ulla: vel minima, portio aeris. Hanc aquæ pertinaciam in sua essentia excusavi à defectu aeris in ampulla, velut sit necessarius excipiendo, & alterando vapori, ut convertatur in purum aerem. Quapropter præfatam ampullam semiplenam aqua, reliqua parte oppletam aere, inverso orificio, mersi aquis in olla contentis, & collocatam super fornacem semper calentem, observavi, an ex vaporibus, elatis à subjecta aquà ad regionem aeris, generaretur aer, qui, dilatatus, occupet illam quoque regionem totamque ampullæ capacitatem. Stetit ampulla in olla super fornacem semper

calentem

calentem diebus multis, aquis sensim evaporatis, & successivè additis, nec tamen aer occupavit totam ampullam : imò nec crevit ullatenus, aut decrevit, nisi ex rarefactione, & condensatione varia à vario gradu caloris: aquis, replentibus ollam &, ampullam, non semel, sed sæpius fatiscentibus in vapores.

His ergo accuratè consideratis, nil occurrebat, quo excusarem communem sententiam de generatione aeris ex aqua : Hæc enim experimenta inferunt incorruptibilitatem aquæ à fortiori : Nam si ignis adhibitus non corrumpit aquã, eam vi caloris haud corruperit radius solis. Tu verò objicis, regionem aeris in ampulla esse angustam: requiri, ut generetur aer, sphæram aeris integram. At ego : Cur non sufficiat aer in præfata ampulla satis ampla, cùm tuo judicio tùm sufficeret sine aere, quando ab aqua bulliente argumentabaris aerem generatum? Habet Philosophus non Peripateticus, comparatus ad Peripateticum, rationem, & sortem, quam Medicus Chymicus ad Galenistam; Chymicus, nisi restituat sanitati moribundum, nil efficit, sin vero sub ejus cura moritur, hunc ille mactavit. Illos verò, qui sub cura Galenistarum sanantur, sanavit Galenista: & alios, qui moriuntur, mactavit morbus. Peripatetico licet argumentari à dictis ab Aristotele. Non Peripatetico nefas est adducere sensu percepta. Spero tamen, te aut consensurum veritati, aut disputaturum conditionibus æquioribus. Præstolor tuam sententiam.

Varsaviæ 15. Martii 1648.

VALERIANI MAGNI

De Atheismo Aristotelis,

AD MERSENNVM

Fratrum Ordinis Minimorum, Virum Clarissimum.

MERSENNE Qui nuper Romæ percontaberis, quæ esset mea sententia de nova quadam philosophia, nunc Lutetia, degentem Warsaviæ, affaris de simili argumento. Isthæc conspiratio animorum ad polum veritatis quo magnete perficitur ? Ab

occulta virtute Telluris applicamur ejus convexo, velut lineæ erectæ, singulæ ad singula puncta verticalia cœli. At verò Animus, optima nostri pars, erigitur ad punctum unicum, quod respicit meridianum omnium mentium: Id est Lux intelligibilis, à qua omnes, & singuli derivamus nobis rationes æternas essendi, intelligendi, volendi, & operandi. Hæc lux est magnes ille, qui sibi conciliat mentes generosas. Atque vtinam Tu, & alii tecum, mihi accedant: mihi (inquam) gestienti vindicare in libertatem Lucis intelligibilis innumeros hominum, quos laus ingenii, tributa Aristoteli, captivat in obsequium doctrinæ ejus. Si enim accuratè perpendo ejus auctoritatem simul cum Doctrina, Tyrannus est, qui premit genus humanum perniciosius ullo Heresiarcha, ullove hominum, quos tulerit ætas ulla.

Laudatur enim Stagirita ab acumine mentis: laudatur à doctrina: laudatur ab Ethnicis, à Christianis, à Catholicis ab Hereticis: & tamen docet, Mundum esse æternum, & increatum, qui regatur fatali necessitate motus Cœlorum, Deo nil penitùs efficiente. His adde ex ejus sententia mortalitatem Animæ rationalis, & cense, qua salute generis humani laudetur hoc monstrum.

Atheismus est culpa, qua nulla alia æquè lacessit iram Numinis. Atheismus est malum, quo nullum est perniciosius generi humano. Aristoteles inducit atheismum iis argumentis, quibus nulla efficaciora sint excogitabilia. Auctoritas Stagiritæ apud homines ea est, qua, post auctorem fidei Christianæ, nulla extat magis motiva mentium humanarum: illi enim, qui in studiis universalibus stipendio, & auctoritate publica præficiuntur instituendis in Philosophia, non sunt alii, quàm Peripatetici. Heu quātus Monarcha mentium humanarum est Aristoteles! Jura Regni, & majestatis ejus exposuero satis unico Elogio, quod nuper prodiit auctore Viro clarissimo: prodiit autem instar legis latæ, ac promulgatæ. Codex ita habet.

Quid ais Plini? Aristoteles vir est immensæ subtilitatis: & Averroes, Aristoteles est humani ingenii finis Altius tamen Græcus iste (Philoponus est) evexit: Aristoteles humanum ingenium excessit. Et sanè in veteribus nostris scholasticis legere memini, assumi oportere à nobis hanc mensuram ubi periclitari volumus, an propositio aliqua divini fidei superet verticem humani intellectus:

Aristoteles istud fidei dogma non intellexit: igitur excedit naturale lumen humanæ mentis.

Adduntque ingenium illud in antecessum à Deo Ecclesiæ Catholicæ

præpa-

præparatum, ac veluti faculam accenſam, qua pauliſper tenebras molliret, ut nox noſtra promptius & facilius, divinum Fidei lumen exciperet. Hæc ille.

Quid ais Merſenne? Fortaſſis diſtinguis dogmata, quorum illa, quæ jnducunt, fulciuntque atheiſmum, damnentur ſecundùm fidem, reliqua laudentur. Nil ad rem: Laudatur Ariſtoteles ab immenſa intellectus ſubtilitate, quæ excedat naturalem conditionem naturæ humanæ. Hunc ergo Homo, tametſi prudens, haud facilè crediderit, decipi craſſe, ac ſtolidè circa prima principia rerum omnium: quapropter, auctore viro incomparabili, ſecurus exſolvet animum ſuum ab omni religione. Obſtat (inquis) auctoritas Fidei Chriſtianæ, mundo conteſtata ſufficientiſſimè. Tecum ſentio. Obſtat quoad majorem partem eorum, qui Chriſto initiantur. At verò quis numeret Atheos, innixos auctoritati, & doctrinæ Ariſtotelis? Quod verò reliquum Philoſophiæ peripateticæ ſit dignum illa laude, & opinio tam falſa, quàm univerſalis. Mihi deſipit ille, qui putet ſciri poſſe naturam, ignota cauſa ejus efficiente. Eſt porrò infidelis, qui detrahit Deo creationem, & regimen mundi. Eum verò, qui non legit in textu Stagiritæ mundum æternum, & increatum, ignoro, an vivat: laudo tamen zelum, ac pietatem nonnullorum, qui virum, æmulum auctoritatis divinæ apud homines torquent ad dogmata Fidei.

Quorſum hæc Valeriane? Dicam: Eo detractum Ariſtoteli auctoritatem inimicam Deo, exitialem generi humano. At deſidero ſocios, emancipatos in philoſophicis à diſcipulatu, qualiũ Gallia veſtra eſt feraciſſima. Novi veſtra ingenia, & notavi, dum eſſem apud vos, alacritatem animi veſtri, ſi ſit fixa ſub radio Saturni, exhibere viros incomparabiles. Hos præ aliis exopto ſocios, ſi non Anteſignanos in philoſophico conflictu: Te verò, Merſenne, concitatorem, ac Ducem: Nimirum, publicabo ſententiam meam de Deo, & Natura, vituperato atheiſmo Stagiritico: & dum ſenſim, ac per partes ea prodit in lucem, vos deſidero cenſores, qui eam aut damnetis, aut approbetis, ea rationum ſoliditate, ac dicendi licentia, quæ exuat Peripatum argumentis ab auctore magiſtri, cogatque pugnare ſola Ratione, ex iis, quæ ſunt nobis per ſe nota, aut per ſe noſcibilia: nolo enim (fuero compos voti) aptare ſtructuræ philoſophicæ ullam lapidem inſignem, non expolitum tunſionibus, & preſſuris: nunc verò præmitto unum, ſubmovendum à philoſophia Chriſtiana.

Æternitas temporis eſt Ariſtoteli lapis fundamentalis, ſuper quo

erexit structorum suæ philosophiæ usque ad fastigium: idque ea ostentatione ingenii, & sapientiæ, quam supra recitavi. Est (inquam) Aristoteli æternitas temporis lux illa, quæ revelat humanæ menti secretissima Dei, & mundi. Hanc verò penetravit subtilitate immensa. Cùm primus statuit, nil esse actu in tempore, præter indivisibile momentum, quod nuncupatur NUNC, quòd sit necessariò terminus temporis præteriti, & initium futuri: & consequenter asserit, existentiam ullius NUNC, sine antecedente tempore, esse impossibilem: hinc verò infert æternitatem temporis. Hanc inducit alio argumento. Motus vel est ab æterno, vel cœpit aliquando. Si sit ab æterno: ergo & tempus: est enim tempus mensura motus. Sin asseras, cœpisse, subinfert extitisse Moventem, qui excitavit Ens motivum ad movendum actu, postquam quievisset tempore infinito. Porrò si hoc concedis, vel ponitur motus ante motum primum, vel processus in infinitum inter moventia, & mota: hæc verò sunt impossibilia: Ergo Tempus est æternum.

Quod autem Stagirita posuerit hanc æternitatem, velut præcipuum fundamentum suæ philosophiæ, est manifestissimum ex ejus textu, quem paucissimi Peripateticorum legunt; quapropter id confirmo auctoritate D. Thomæ, qui lect. 6. super 12. Metaph. sic ait: *Ex hoc igitur processu manifestum est, quòd Aristoteles hic firmiter opinatus est, & credidit necessarium fore, quòd motus sit sempiternus, & similiter Tempus: aliter enim non* FUNDASSET *super intentionem suam de inquisitione substantiarum immaterialium.* Hæc Doctor Angelicus.

Macte ergo, mi Stagirita, immensa tuæ mentis subtilitate, & constituta æternitate temporis, exere tuam sententiam de Deo, & Mundo. Audiamus Mersenne, quid inde promat, seu inferat. Tempus est æternum, ergo & motus: Motus est æternus, ergo & movens, & mobile Cœlum: Moventia Cœlos, & Cœli, sunt æterna, ergo non facta, seu non creata: Moventia Cœlos movent motu æterno, ergo indefatigabilia, ergo separata à materia, ergo intellectiva: Motores Cœlorum sunt naturæ intellectivæ, ergo movent alicujus finis gratia: Finis est optimum, ergo Ens optimum movet sub ratione finis intelligentias motrices Cœlorum: Ergo Ens optimum est unicum movens immotum: ergo non movetur intelligendo alia à se, Ergo seipso est beatus.

Unde Mersenne, quàm concinnè, quamve, eleganter theologizet ex æter-

ex æternitate temporis. Audiamus, vt aptat eandem æternitatem dignoſcendis corporibus naturalibus. At licet mihi interpellare tantum Philoſophum, diſſerentem de Deo, & natura. Mundum hic & nunc exiſtentem, accuratè conſideratum, animadverto, eſſe compoſitum, ordinatum, limitatum, neceſſitatum: velim ergo eruat nobis ex tempore æterno horum cauſas primas: vt enim Cœlum motum neceſſario movetur à movente immoto, ſic Mundus neceſſitatus, limitatus, ordinatus, compoſitus, ſupponit limitans non limitatum, neceſſitans non neceſſitatum, ordinans non ordinatum, componens non compoſitum, ex vi hujus axiomatis.

Omne, quod movetur, movetur ab alio.

Audiamus: Movens Cœlum, quia movet immotum, conſervat habitudinem ad Cœlum motum æternaliter eandem. Ergo motus Cœli ſemper eſt idem. Cœlum motum, motum movet ſubjectum mundum elementarem: Ergo variat æternaliter habitudinem ad mundum elementarem: Ergo inducit viciſſitudinem generationum, & corruptionum æternam: Ergo ſupra mundum elementarem nulla viciſſitudo, nullus motus novus, nulla actio nova, nulla eſſendi, movendi, aut agendi poſſibilitas, quæ actu non ſit ab æterno; hinc illud axioma.

In ſempiternis idem eſt eſſe, & poſſe.

Mundus eſt realiter compoſitus ex corporibus, & naturis realiter ab invicem diſtinctis: verum, quia eſt æternus, nullum habuit Principium componens. Mundus eſt realiter ac eſſentialiter compoſitus, cum ordine ad fines, cuilibet naturæ, ac toti mundo bonos: verùm, quia eſt æternus, à nullo Principio ordinante eſt eſſentialiter ordinatus. Mundus eſt ſic compoſitus, & ordinatus, vt ſingulæ ejus partes habeant gradum entitatis eſſentialiter limitatum in ordine ad finem intentum: tamen, quia eſt æternus, nullum extitit Principium: limitans naturas partium ejus Mundus movetur ex neceſſitate naturæ: verùm, quia eſt æternus, neceſſitatur, nullo prorſus exiſtente Principio neceſſitante non neceſſitato. *Dicere enim* (1. Metaph.) *ideas eſſe exemplaria, & cætera eis participare, vaniloquia, & metaphoras poeticas dicere eſt. Quis enim eſt, quod agit ad ideas inſpiciens? &c.* Mundus eſt ab æterno, Ergo generationes & corruptiones corporum ſublunarium ſibi ſuccedunt ab æterno: Ergo corporum generatorum fuere infinita: Ergo non extitit primus Hominum, Leonum, Equorum, Boum, Gallinarum, vel Ovorum, & aliorum, quæ ullo modo generantur,

generantur, & corrumpuntur: Ergo animarum rationalium, si sint immortales, actu existunt infinitæ, quod cum sit impossibile, necessariò sunt mortales.

Quid tibi videtur Mersenne, de hac Philosophia? Dicam ex persona Atheistarum, apud Cic. lib. 1. de Natura Deorum. quid illis videatur.

Perobscura quæstio est de natura Deorum, quæ & ad agnitionem animi pulcherrima est, & ad moderandam religionem necessaria, &c. Vos enim imposuistis in cervicibus nostris sempiternum Dominum quem dies, & noctes timeremus. Quis enim non timeat omnia providentem, & cogitantem, & animadvertentem, & omnia ad se pertinere putantem, curiosum, & plenum negotii Deum? &c. Quod æternum, beatumque sit, id nec habere ipsum negotii quidquam, nec exhibere alteri, Itaque neque ira, neque gratia teneri, quod, quæ talia essent, imbecilla essent omnia &c. nimirum, Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

En ut æternitas temporis, est Aristoteli lapis fundamentalis, super quo construxit Arcem peripateticam! consecrandam non cultui Creatoris, sed ventri eorum, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem. Nec dubito, quin hæc infanda lues corrupisset majorem humani generis partem, nisi obstitissent illi Peripateticorum, qui ad normam fidei correxerunt dogmata concernentia religionem, vel confutando, vel textu Aristotelis detorto ad saniores sensus. Hic ergo lapis submovendus est à fundamento philosophiæ Christianæ. Id negotii sic aggredior.

Tempus est motus successiuus, quatenus cogitatur totus simul, servata tamen intentione præteriti, præsentis, & futuri. Motus enim successivè nil actu est à parte rei, præter NVNC labile. Porro ipsum NVNC non potest esse mensura temporis, quemadmodum nec punctum est mensura lineæ. Sic verò aliqua pars temporis mensurat tempus, vt aliqua pars lineæ mensurat lineam. Mensurans est animus cogitantis motum successiuum totum simul, quem nequiret cogitare, si ipse Animus non esset punctum non labile, sed stabile. Ego memini annorum sexaginta, quod foret impossibile, si ego non sim idem ille, qui fueram ante annos sexaginta: ita vt mea immutata essentia sit NVNC stabile, quod semper idem durat, labentibus innumeris NVNC in motu successivo. Animus ergo, quia durat, comprehendit Tempus, cujus partes numerat aliqua parte aliquotà ejus. NVNC ergo stabile comprehensiuum temporis nullam habet proportionem ad il-

los motus, quorum præcipuè ipse animus est principium effectuum: quæ enim est proportio puncti ad lineam, ea est ipsius NVNC stabilis ad NVNC labile: scilicet, nulla. Ea verò, inter quæ nulla est proportio, nec sunt inter se æqualia, nec inæqualia, nec vllo modo comparabilia. Itaque tempora motuum nec sunt æqualia; nec inæqualia, neque comparabilia cum NVNC stabili ipsius Animi, comprehendentis ipsum Tempus.

Sanè NVNC stabile eorum entium, quæ habuere initium essendi post motum Cæli, habet in tempore momentum respondens initio illi, licet labile momentum temporis sit incomparabile cum stabili NVNC Entis incipientis esse. Quapropter Tempora, eiusmodi momentis intercepta, sunt invicem commensurabilia, licet, ut dixi, sint incommensurabilia cum ullo NVNC stabili. Verum stabile NVNC entis sine initio essendi; est multò evidentius incommensurabile cum NVNC labili, totoque tempore: ita ut sit & impossibile, & prorsus inintelligibile. Tempus esse coæternum Enti, non habenti initium essendi: Casus enim ipsius motus à simultate naturæ cum movente, & mobili, necessario inducit initium temporis, ut supra dictum est.

Tantæ molis erat labens cognoscere Tempus.

Est Deus: Est Angelus: Est Cœlum. Esse non est NVNC labile, sed stabile: & cum Ens desinit esse, non labitur succesivè ad non esse, sed in instanti indivisibili contingit illa desitio essendi.

Angelus activè movet Cœlum. Hic motus est natura prius passivo motu Cœli, & naturà posterius ipso Angelo: quemadmodum & passiuus motus Cœli est naturà posterius ipso Cœlo. Tempus verò est naturà posterius passivo motu Cœli: siquidem Tempus est motus Cœli successiuus, ut cognitus totus simul. Ergo nil eorum, quæ natura sunt prius tempore, mensurari possunt tempore. Scilicet, non est possibile denotare in tempore momenta, sub quibus Angelus cœpit movere Cœlum, & Cœlum cœpit moveri: sed necessariò illa duo initia sunt primum NVNC labile dati motus successivi ipsius Cœli. Ergo falsum est non dari in tempore vllum NVNC, quod non sit terminus temporis præteriti.

Quoniam verò primum Nunc motus ipsius Cœli est labile: Cœlum verò, quoad suam essentiam, est NVNC stabile: impossibile est, id, quod labitur, esse essentiam Cœli: sed est contactus, v.g. partis A Cœli moti, cum parte B corporis, à quo recedit pars A:

qui con-

qui contactus tamdiu variatur, quàm diu Cœlum movetur: quæ successio est impossibilis, si Cœlum, quoad suam essentiam non sit NVNC stabile, durans sub contactu labili. Porrò NVNC stabile, sive Cœli, sive Angeli, sive Dei, sive vllius aliorum entium, nullam habet proportionem cum NVNC labili. Miror ego, Aristotelem, virum subtilitatis immensæ, quæ excedat humanum intellectum, nequivisse sufficienter regredi à tempore cogitato ad se cogitantem, & notare, nullam esse sui, multò minus Dei, proportionem ad tempus cogitatum. *Scilicet*, philosophatus est à cavea chimærici temporis infiniti, & inde propagavit suum Atheismum, velut fumum teterminum, exhalatum de puteo abyssi.

Habes Mersenne paucis, quod in mea *Philosophia* pluribus expono: Tibi etiam pauciora sufficiunt. Velim ergo adhibeatis & Vos vectes ferreos eruendo huic lapidi fundamentali, confutandæ scilicet æternitati temporis, quatenus Atheismus Aristotelicus exponatur irrisioni, & ludibrio omnium: prout fieri decreverunt Patres Concilii Lateranensis secundi.

Quoniam verò Philosophia Christiana ædificnada est, dum Pagana diruitur, profero duos lapides, Fundamentalem vnum, Angularem alterum, quos velim examinari, & aptari discussione, si fieri posset, omnium Orbis sapientum. Fundamentalis est Ratio Entis perfecti. Angularis est subsistens, ac vivens similitudo præfatæ Rationis.

Edidi tractatus duos de fodina, ex qua eruuntur certæ notitiæ horum lapidum, quos nuncupavi de LVCE mentium. Hos rogo consulatis. Fodina est proprius vniuscujusque Animus, cui lucet immediatè ratio Entis perfecti: ipse verò Animus est viuens, ac subsistens imago præfatæ Rationis. Ratio Circuli non est circulus, sed idea ejus. Ratio Entis perfecti non est idea Entis perfecti, sed est ipsissimum Ens perfectum: Ens enim perfectum est essentialiter Ratio Ego verò experior mentaliter, me esse subsistentem lucem intellectiuam, simillimam Rationi præfatæ, parturientem immanenter lucem de se luce, quæ lux parta est species intelligibilis, repræsentativa lucis æternæ, sub cujus radio æterno, & incommutabili sum, & vivo intellectivè, innixus semper ac indeficienter rationibus æternæ, & incommutabilis veritatis, ac bonitatis: per quod lumẽ cognosco summã stoliditatem eorũ, qui sentiũt, Animã rationalem non creari à Luce æterna, sed educi de potentia materiæ,

teriæ, à luce stellarum, quæ cùm hic & nunc luceant, haud possunt producere lucem, essentialiter repræsentativam lucis æternæ.

Homines isti, qui ignoravere seipsos, posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra. Hæc de Atheismo Aristotelis. Vale mi Mersenne, meque tui amantissimum vicissim ama. Scribebam Varsaviæ 13. Kal. Decemb. anno 1647.

VALERIANI MAGNI
RESPONSIO
AD
Peripateticum Cracoviensem.

VVlgatur libellus sub titulo Peripatetici Cracoviensis, quem approbavit Magnificus & Admodum Reverendus Iacobus Vitellius, Academiæ Cracoviensis Rector. Ille argumentatur contra meam Demonstrationem ocularem de possibilitate Vacui: Hic Patronos illius sententiæ denominat (sunt ejus verba) *Novatores, planam & sanam doctrinam Aristotelis, ac receptam ab Ecclesia Catholica convellentes, & opinionibus novis viam sectis innumeris sternentes, vel certitudinem sciendi tollentes:&c.* Vtrique satisfacio.

Peripateticus Cracoviensis infert fallaciam demonstrationis ocularis, tàm in Geometricis, quam in Physicis, abstrahendo à mea, quam exhibui de Vacuo. Huic concedo totum. Sub finem verò libelli me committit cum Antonio Maria Fratre Capuccino, Viro erudito, & mihi amicissimo, argumentante pro impossibilitate vacui. Huic non respondeo, quod nil habeat contra experimenta à me exhibita. Sed cur non directè ad fistulam? quam demonstro immunem ab erroribus, quos noster Peripateticus tantopere pertimescit. Fateor, aerem in fistula vitrea nullum exhibere colorem, & consequenter Hominem ex non visione corporis non posse inferre Vacuum, quam oppositionem præveni in meo libello hiscè verbis: *Quod erat demonstrandum ad oculum: nimirum, adjuncto oculis mentis.* Hunc textum debuit Peripateticus accuratè perpendere.

Fateor (inquam) Vacuum non esse visibile oculo corporali; at visibile est oculo mentis Hominis illius, qui oculo corporis intuetur meam fistulam. Id, cum multipliciter possim demonstrare, ostendo hoc unico modo.

Detur fiſtula longa ultra quinque quartas partes ulnæ Warſavienſis, &, ſecundum artem, exonerata illa parte mercurii, quam Natura prohibitiva Vacui nequit ſuſpendere, ajo, partem fiſtulæ ſuperiorem eſſe vacuam ab omni corpore : Peripateticus Cracovienſis negat. Quis dirimat hanc quæſtionem? Ratio, adhibitis oculis. Rationem adhibeo hoc modo. Si penetratio corporum ſit impoſſibilis naturæ, & fiſtula obturato orificio invertatur quantumcunque celeriter, ita ut pars, quæ fuerit infima, ſit ſuprema, neceſſariò, ſi, præter mercurium, contineat aliud quodcunque corpus, mercurius occupans ſuperiorem partem fiſtulæ, non penetrabit corpus infernum, ſed ſtabit ſuper illud dum id ſenſim aſcendit per mercurium ad partem fiſtulæ ſupremam. Sin verò pars illa vacet ab omni corpore, mercurius, inverſa fiſtula, neceſſariò ruit præceps ad partem inferiorem: ſcilicet nullo corpore præpeditus, viſiturque Vacuum in parte ſuprema. Hanc rationem video oculo mentali, quam videt & univerſus Peripatus: ſiquidem penetratio corporum eſt Ariſtoteli multò difficilior Vacuo.

Huic rationi adhibeo oculum; ſcilicet, acceptam realem fiſtulam vitream, cujus pars ſuperior à me ponitur ut vacua, inverto, & eodem pene momento video oculis partem ſupremam fiſtulæ vacuam à mercurio, qui illo ipſo momento cernitur occupare infimam, ſcilicet à nullo corpore præpeditus. Deinde acceptam eamdem fiſtulam, cujus ſuperior pars ſit vacua, inverto, & de obturato orificio, aërem admitto, quo ſuppletam iterum inverto, in cujus ſuprema parte viſitur mercurius merus, ac purus, ſtans ſuper aerem occupantem infimam, & ſenſim aſcendentem per mercurium ad ſupremam. Demum acceptam fiſtulam, cujus ſuperior pars ſit vacua, exonero aliqua parte mercurii, quam aere volo ſuppleri, & poſtmodum, obturato orificio, eam inverto : quo momento viſitur in ſuprema parte fiſtulæ reſidua pars Vacui, ſub quo viſitur & mercurius, & ſub mercurio admiſſa portio aeris, ſenſim, ut dictum eſt, aſcendentis per mercurium. Hi ergo motus viſi in fiſtula, ſi ſubſumantur præfatæ rationi incommutabili de naturali impenetrabilitate corporum, inferunt exiſtentiam Vacui. Ergo mea Demonſtratio ocularis, inſiſtens rationi æternæ, eſt immunis ab erroribus, qui alioquin poſſunt irrepere à fallacia oculorum corporalium.

Quoniam verò in dato vacuo eſt lumen, quod patet ad oculum, quæritur, ut in vacuo producitur, utve ſubſiſtit? Sane Ariſtoteles

non

non patitur productionem formæ sensibilis, nisi ex materia prima, si forma sit essentialis: vel ex subjecto corpore naturali, si forma sit accidentalis: quapropter nec corpus illuminans vitrum, nec vitrum illuminatum possunt extendere proprium lumen in spatium vacuum, maximè cùm forma, quæ non potest deserere subjectum, cui inhæret, & transire in aliud, multò minus possit relicto proprio subjecto, cui inhærebat, subsistere separata. Dicendum igitur, quod lumen in vacuo est productum vel à primo lucente, vel à vitro pariter lucente, ex nullo subjecto, quodvè lucens sit suaptè natura fœcunda productivum luminis, subsistentis sine subjecto cum essentiali dependentia à lucente. Hisce porrò concessis, ruit universa Philosophia Stagiritica. Nam si lucens potest producere lumen ex nihilo subjecti, aut materiæ, multò magis potuit, potestque Deus creare mundum ex nihilo subjecti, aut materiæ. Hinc cadit æternitas motus, & temporis, & præcipua pars Metaphysicæ Aristotelis. Formæ verò cùm non educantur de sterili potentia materiæ, aut subjecti, sed productæ è natura fœcunda inducantur in materiam, seu in subjectum, subvertunt & ejus Physicam: quasi doctrina Stagiritica, detrita longo usu tot sæculorum, exolescat tandem, & absumatur.

Equidem prudens perpendo, quæ consecutura essent occasum Peripatus, & nonnulla animadverto non mala, tametsi horrenda. Ignorasse est plurimis malum horrendum: Nonnullis ex generosa indole duriusculum est, quòd alius sciat. Hæc duo si seponantur, reliquæ sequelæ, ex occasu Stagiritæ, conciliant Deo cultum, humano generi lumen veritatis, & Ecclesiæ Catholicæ laudem partæ veræ Philosophiæ. Sanè me puderet nostri, si non-Christianus, aut non-Catholicus cogeret nos vi mentis, & vi veritatis abjurare Aristotelem, & inire novum discipulatum sub magistro non-Christiano, aut non-Catholico. Numero annos quadraginta à primo meo conatu contra Aristotelem, non pruritu novandi vetera, sed cognoscendi Creatorem meum, quem lumine rationis cernebam, at involutum tenebris palpabilibus, quas mihi, licèt oculatius perspicienti, offundebat auctoritas Aristotelis, nimium commendata, ac venerata. Verum mihi invocanti gratiam Spiritus Sancti, & placita sapientum, & contribuenti tantillum operæ meæ ad facinus tam sanctum, tamve præclarum, id accidit, quod non credidissem. Seposita Italia, ac Germania concessi in Poloniam, ratus, libertatem Sarmaticam, & indolem Polonicam, excussura

jugum Stagiriticum, cum intellexerint erroneum. Sed impingo in difficultatem aliquam: quę ea sit, dicam. Nil in Philosophicis actitatur frequentius, quam disputare in utramque partem contradictionis non solum illa, quæ aliena sunt à mente Aristotelis, sed & à fide. Quæritur passim, an sit Deus? & proferuntur ea argumenta contra Divinam existentiam, quæ videntur esse validissima: hac enim pugna veritas impetita, illucescit pertinacius. Ego verò adducto unico experimento pro possibilitate Vacui, non possum extorquere responsionem amicam, sed execrationem publicam. Heu quam fallimur in nostris cogitationibus! Existimabam me iri accersitum ab illis, quorum interest, quatenus me audirent coram de verbo hoc, & expenderent pondera, imò momenta rationum, ex quibus pendula sit universa Philosophia Aristotelis: Non enim Iagello Rex Poloniæ instituit septem Cathedras docendæ Philosophiæ Aristotelicæ, sive ea deprehendatur vera, sive falsa. Si pugnæ scholasticorum sint inquisitivæ veritatis, non detrectarent illa argumenta, quæ evertunt Thesim. Quis est inter Academicos, (cum sit mos omnium Academiarum) cui non liceat argumentari contra Vacuum? nemo omnium: At cur non licuit Valeriano? Fortassis quia suo argumento evertit impossibilitatem Vacui. Hæc sufficiant Peripatetico Cracoviensi.

Id porrò, quod concernit supra expositam Approbationem, reduco ad duo puncta. Cum primis dico, numerari inter vituperatos Novatores, ac sectarios Valerianum Fratrem Cappuccinum: Admod. Reverend. P. Mersennum Ordinis Minimorum Theologum: D. de Roberval Mathem. scient. in Collegio Regio Franciæ Professorem: D de Paschal præcipuæ nobilitatis Virum: D. Evang. Torricellum Magni Duc. Ætruriæ Matth. scientiarum Professorem primarium, Viros clarissimos. Ego Valerianus existimo, candorem meæ doctrinæ non posse denigrari illa censura. Reliquorum uniusquisque viderit, quomodo consulat suæ famæ.

Secundum punctum exponit, quomodo Philosophia Aristotelis sit recepta ab Ecclesia Catholica. Dico igitur, à nato Christo usque ad annum circiter 1164. in quem incidit mors Petri Lombardi Magistri sententiarum, auctoritatem Aristotelis nunquam fuisse adhibitam in Theologicis, & obscurè usurpatam in Philosophicis. Apud Magistrum sententiarum nullus allegatur Philosophus: argumenta petuntur à sacro textu, à Patribus, à Conciliis, à ratione suopte judicio inducta: multò minus Aristoteles legitur allegatus à Dionisio

Areo-

Areopagita, qui ante Magiſtrum ſententiarum prælegebatur ſtudioſis Theologiæ. Sic actitatum eſt in Eccleſia totis 1164. annis. In Philoſophicis verò Plato eſt adhibitus prælatus Ariſtoteli. Circa quod tempus Auerroes, cognomento Commentator, ſcilicet Ariſtotelis, erexit Phyloſopho illi cathedram in Hiſpania, ex qua propagatus eſt Peripatus per totam Europam, id ægerrimè ferentibus Romanis Pontificibus: unde factum; quod in Concilio Lateranenſi ſecundo ſub Leone X. publicatum ſit hoc Decretum anno D. 1513. 19. Decemb.

Cumq; verum vero minimè contradicat, omnem aſſertionem, veritati illuminatæ fidei contrariam omnino falſam eſſe definimus, &, ut aliter dogmatizare non liceat, diſtrictius inhibemus, omnesq; hujuſmodi aſſertionibus inhærentes, tanquam hæreticos vitandos, & puniendos fore decernimus. Inſuper omnibus, & ſingulis Philoſophis in Vniverſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus, diſtrictè præcipimus, ut cum Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus à recta fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu explicaverint, quale hoc de immortalitate animæ, aut unitate, & Mundi æternitate, ac alia hujuſmodi, teneantur eiſdem veritatem religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio hujuſmodi Philoſophorum argumenta, cùm omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere, atq; reſolvere.

Hæc verò ſufficiant.



VALERIANI MAGNI

SOLILOQUIORUM
DECAS PRIMA.

AD
VLADISLAUM
QUARTUM.
POLONIÆ, & SVECIÆ REGEM
Serenissimum ac Potentissimum.

LECTORI.

DUm me exercerem in contemplatione lucis æterne, cui cantarem canticum novum, in specimen vitæ intellectualis ex mea Philosophia: excidit Decas soliloquiorum meorum olim exarata ad solatium Serenis. Vladislai IV. Regis Poloniæ, memoriæ, gloriosæ, quam, occupatus aliis studiis, subiicio in specimen permissum, prout extat impressa Warsaviæ. Vale.

REX

REX IN ÆTERNUM VIVE.

SI nullum extet publicum testimonium meæ humillimæ observantiæ, & devotionis erga Majestatem Tuam, contraho notam ingratitudinis apud Orbem, conscium beneficiorum, in me meamque familiam, à Te clementissimè congestorum. Sed ecquod fuerit illud meum obsequium erga Te, celebrandum in Orbe, si Philosophiam meam, dudum devotam Virgini Deiparæ, non dedico Nomini tuo? Incidit tamen placiturum, si quid edam Tibi ad peculiarem utilitatem, tametsi hoc ipsum sit Virgini Matri sacrum. Temperare veritatem Philosophicam ad palatum Tuum, qui imperio Orbis Polonici distraheris à studio Philosophico, si per me fiat, fuerit sanè argumentum animi devoti erga Majestatem Tuam. Feci: studiumque bene merendi de Te erupit in hæc mea Soliloquia, futura fortassis, quam jucunda, tam salutaria; aliis quoque qui ea lectitaverint, & ruminaverint assiduè.

At non devincior Tibi solo jurè beneficii accepti, sed flector in obsequium à decore animi Tui. Annis ab hinc triginta ingenium meum probasti, & vultum, & probe nosti, quam averser omnem adulationem, etiam non planè indecoram: & tamen hanc meam de te sententiam pronuncio Orbi universo. Regum, ac Principum vidi, & spectavi multos: at nullum, quem decor Regiæ virtutis, sine socia utilitate propria, accendat magis. Magistratus ostendit virum: Imperium Orbis Heroem. Extant magnæ indolis Tuæ argumenta solidissima, sed, meo judicio, sunt specimina eorum quæ fecisses ad Orbis Christiani commodum, si occasio tulisset. Si Fortunam crederem causam in natura conspuere illã, quod infra naturã favisset Vladislao, O Rex, Exere Animi Tui magnitudinem, & Cor Tuum dilata, evasurus in Deum Creatorem Tuum: siquidem & fallit, & præterit figura hujus mundi. Iuverit si diebus singulis, prælecto Tibi uno horum Soliloquiorum, id sit thema allocutionis Tuæ cum viro idoneo.

idoneo. Chriſtum habebis medium,qui viſitabit Cor Tuum & implebit gaudio,quod mundus non poteſt dare.ego vero , Deo dante, per Decades ejuſmodi Soliloquiorum,frequens venerabor Majeſtatem Tuam , Cui precor ab Omnipotente ſtatum incolumem quam diutiſſimè.Scribebam Varſ.X.Kal.Apr.1648.

Tuæ Sacræ Regiæ Majeſtatis.

Servus humillimus

Frater Valerianus Capuccinus.

O MARIA Mater dulciſſima
IESV noſtri Salvatoris,
Si tuus filius,meus dulcis IESVS
Meus frater eſt amabiliſſimus:
Et ſi IESV filii tui Pater
Meus quoque Pater eſt amantiſſimus:
Vnde mihi negare potes,
Quin tu quoque,ò Beatiſsima,
Mea ſis mater dulciſſima?
Mater ergo mea dilectiſſima,
Filium audi ad te clamantem,
Et te matrem invocantem,
Virgo mater ſuſcipe.

VOvi enim Filio tuo , dedicare Tibi omnem meam lucubrationem,quatenus,interventione tua , Lux mentium mihi ſcribenti adſit uberior, legentes verò exultent in eodem lumine:in quem finē hiſce ſoliloquiis præcipua lumina,directa ad mentes legentium , inflecto ad voluntatem eorum , ſi tamen ipſe afficior à Veritate. Quis mihi tribuat vivere de te, O Deus, & ſic viventem loqui ad corda eorum,qui lecturi ſunt mea ſuſpiria ad omnipotentem ? Virgo Mater ſuſcipe vota mea.

SOLILOQVIVM I.

TÆdet animam meam vitæ meæ:conſcio enim me ipſum : & ſpecto aſſiduè Mundum totum : memoriam mei repeto ab annis ſexaginta,ante quos ſtupens recogito nihilū mei, à diebus æternitatis.Unde ego?O me terque quaterque beatum:qui, cum non fuerim, ſum:modo ſcirem eum,cujus beneficio ſum:Eſt ne meus Plaſtes? Vbi Numen illud mihi charum,licet ignotum:ubi illud?Tibi uni Animus meus geſtit ſe conſecrare totum.Oro ſupplex , oſtende mihi faciem tuam:ſonet vox tua in auribus meis.Heu me projectum ſuper terram igna-

ignarum meæ originis. Pupillusnè Ego? laboro clamans raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei. Nulla species: vox nulla. Tenebræ atræ. Silentium mutum. Miser ego, num iuuat ire subumbras, & cogitando relabi ad æternum nihilum mei? Quis, cùm non essem, evocavit Valerianum de nihilo sui? Nunquid ego, cùm non eram, feci ut essem, & hoc ipsum ignoro? Papæ, quid, sic tabescens, video? Video lucem, intolerantem nihili æterni. Si quando, vel unico momento, nil omnium extitisset, quis Valeriane cæpisset facere illa, quæ nunc sunt? Verè existit Ens aliquod æternum, à nullo factum: nec tamen speciem ejus video, aut vocem audio. Heus tu, qui nullius beneficio es, quod es? Tu ne ille, cujus beneficio ego Valerianus sum hoc, quod sum.

His dictis, sustuli mentem, & accepi hæc verba: Ego sum, qui sum: reliqua, quæ sunt, sunt hoc, quod non fuerant, cujus non entitatis charactere signantur in facie. vix hæc audivi, cùm intellexi, Ens æternum esse non factum, & consequenter non limitatum, & consequenter infinitum: quam infinitudinem Entitatis non possum tribuere ulli aliorum Entium existentium, ob characterem, quo singula notantur in facie: scilicet, ultrò cernimus, nil omnium esse Ens infinitum, sed singula sunt limitata, ac definita gradu Entitatis, loco, ac differentia temporis: singula sunt ordinata, composita, necessitata, ac mota in fines, sibi constitutos ab alio.

Intellexi ergo, existere Numen, cujus beneficio Ego, & Mundus sumus hoc, quod sumus: & explicatis ulnis amplexari illud conabar, & stringere, ac identificare meo cordi sed heu me; meus Plastes effugit omnem amplexum. Me tum prostravi super faciem terræ & os meum posui in pulvere, si quo modo quirem contestari illi conscientiam meæ humilitatis, & Majestatis ejus, & affectum animi grati. Demum me submisi quasi ad genua, & ad pedes ejus, adoraturus vestigia eorum: at inane erat, quod stringebam. Flevi ergo, ac dixi illi; Estnè ullus modus contestandæ tibi meæ devotionis? Tùm dictum est mihi: Spiritus est Deus, & eos, qui adorant illum, in spiritu, & veritate oportet adorare.

SOLILOQVIVM II.

VEnite exultemus Domino: iubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione, & in Psalmis jubilemus ei, quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos. Nihilum mei me præcessit à diebus æternitatis tuæ, nunc verò exulto tibi Deo factori meo.

Valeriane! dirige aciem tuæ mentis in Creatorem tuum, & cerne, ut est jucundus in decore æternitatis suæ. Non prehenditur manu, sed intellectu: nec amplexabere illum ulnis, sed voluntate tua.

O lux intelligibilis, demitte tui radium viuum in cælum meæ mentis, natæ vivere de te, ò vita animæ meæ. O si mihi essent Mundi centum, quàm lubens omnes consecrarem tibi, nec tamen facerem satis animo, gestienti rependere gratiam Creatori suo.

Omnia quæ sunt, sunt tua: tu enim fecisti illa: Ego verò tùm forem minimè meus, si nolim esse tuus.

Valerianum tuum, ò Deus, habe totum, & de centro tuæ æternitatis miserere labanti cum decursu temporum.

SOLILOQVIVM III.

DVm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, vigilabam tibi, Deus meus; Tu verò lucebas mihi de sereno centro Nihili entium, quæ cùm nunc existant, successerunt tamen ex nihilo sui, ad hanc existentiam. Micabas radio æterno, non facto, non limitato, sed infinito, ac beato. Ego verò garriebam tibi, ac modulabar voces laudis, & amoris. At dum sic vivo jucundus, audio hanc vocem, prodeuntem de regione existentium. Putasnè Valeriane, lux illa rideret tibi, si nil entium existeret? Ignorares illam. Vix hæc intellexi, cùm nigerrima caligo occupavit cælum mentis meæ, nec ultra vidi lucem amicam, Cæpi tum luctari cum tenebris, evasurus ad radium pristinum, si quirem. Mecum ipse sic ratiocinabar. Si nil omnium aliquando fuisset, modo nil omnium existeret: quis enim fecisset ea, quæ non erant? Atqui nunc existit Mundus Entium innumerabilium, ergo est Ens aliquod ab æterno: id verò non est factum, non limitatum, sed infinitum: id igitur est lux, & vita animæ meæ. Macte animo Valeriane! Vivit Deus Sic memet erigebam à tenebris ad lucem, Huic sic opponebam. Quæ non fuerant, & nunc sunt, poterant non fieri. Fuerit, quod esse poterat: modò nil omnium existeret. In hoc casu, lux tua Valeriane, delitesceret tibi. Ergo non suoptè, sed alieno lumine, lux illa lucet: Ergo ea non est Numen illud, quod tu tam religiosè venerabare. Hisce tenebris confusus horrendum conatus sum. Radium mentis, quod est extra aleam omnis dubietatis, subegi quæstionibus, ac mecum ipse quæritabam. Utrum Ens illud æternum, non factum, ac infinitum, potuerit non esse? Irrisi primum stoliditatem motæ quæstionis, ac dixi. Qui fieri potuit, non fuisse id, quod est ab æterno? Sed institi,

conge-

congeminata quæstione: Utrum ipsa æternitas potuerit non esse? Sub hac quæstione cæpi vehementius languere, nec poteram erigere mentem, cujus indijudicabile lumen cæcus, conabar, velut postulatum falsi, examinare aut damnandum, aut restituendum suis juribus. O vos omnes, qui ex hoc libro legitis mea suspiria, meumque laborem, miseremini viro abnuenti dulcedinem vitæ animalis, nec tamen degustanti intellectiuam, sed cœcutienti inter lucem, & tenebras Quis cogitando assequatur conatum longioris ætatis? O Deus qui solus laborem, & dolorem consideras, emitte lucem tuam, & veritatem tuam!

SOLILOQVIVM IV.

Valeriane; Vidi laborem, & dolorem tuum : veni, ut liberem te. Sepone Cœlum, terram, & id omne, quod est; te ipsum dissimula: solitarius ingredere vastitatem, quæ tibi occurrit post superatos montes existentium: ne exhorrescas: ultro infer te caligini inexploratæ, scilicet, nihilo æterno, antecedenti mundum; ac dicito mihi, quid istic deprehendis?

O Domine: memini, cùm cernerem te Deum Creatorem meum, ævo sempiterno existentem ante nihilum eorum, quæ nunc sunt. quæ'ue aliquando non fuerant: at verò, obortis tenebris, versa est in luctum cythara mea: heu me: heu me adductum in tenebras, & non in lucem. allucinor. De caligine illa sublucet mihi aliquid! O Deus! Ibi luces clarius, vbi conspiceris solus: Inde loqueris, quo cuncta silent: Quæ sunt, non fuerant: nec essent modo, si, ea esse, fuisset impossibile. In illa ergo vastitate, ac caligine æternæ nihileitatis lucet mihi Posse esse: Entium enim possibilium intelligo innumera. At quid est isthæc Possibilitas essendi: Introspiciam illam intimè: Præterita non fuissent, si, ea fuisse, fuisset imposs ibile. Præsentia non essent, si hæc esse, sit impossibile. Futura non erunt, si ea fieri sit impossibile. Intelligo plurima, ut possibilia tamen si nec sunt, nec fuere, neque erũt. Ergo Possibilitas essendi capit, omnia, siue ea sint, siue non sint. Vix non pronus adoro Possibilitatem essendi. Hæc dum confero in secretiore arcano mentis meæ, rideo stuporem, quo corripior à maiestate Possibilitatis essendi. Cur non intelligis Valeriane, Posse esse, esse impossibile, ni pręcedatur, ævo ęterno & incommutabili, à Posse facere? Quæ est illa Possibilitas essendi, quæ non sit impossibilis, si actu non existat Potentia faciendi? Si libet mente excedere cuncta, ut inhæreas uni, qui solus est, sepone Posse

 esse, &

esse, & te infer scrutinio ipsius posse facere. O Ens æternum! ò Numen mentis! Te intellexeram non factum non, limitatum, sed infinitũ: Nunc cerno, te esse eminenter, & incommutabiliter id omne, quod non est impossibile esse entis. Tui existentiam quam argumentabar ab existentia Entium, nunc video illatam ab essendi possibilitate. quæ nec est possibilis, nec intelligibilis, nisi illi præexistat Posse facere. Ergo tu lumen meæ mentis, & vita animæ meæ, luces mihi tuopte lumine, procul ab omni existentia rerum ullarum. Dum verò mihi morosè luces, suscitas ab imo fundo cordis mei fluctus mille: mille, inquam, animi affectus. Simul gliscunt, & me incendunt reverentia Majestatis, amor Bonitatis, laus Excellentiæ, gratia Benefactori, pœnitentia offensæ, fiducia invocantis, & impar tolerandis ejuscẽodi motibus, deficio Quid enim mihi est in Cœlo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

SOLILOQVIVM V.

DVm in pervigilio matutino, horis antelucanis, de more vigilarem Illuminatori tenebrarum mearum, reperii vastitatem, seu caliginem illam, in qua spectaveram Ens infinitum, Posse esse, & Posse facere, exploraturus universam regionem, sicunde alia occurrerent, à quibus rescirem plura de illo Numine, quod adoro. Dum autem invado secretiora deserti, & adnitor proferre aciem mentis, lux de vertice ejus, velut excussa è silice, collustravit. coruscatione fugacissima, non sylvas, campos, montes. & mœnia vrbium, sed novos videbar aspectare Mundos, quos monento absorbuit prior illa caligo: Tum ego, qui essem conditionis peregrinæ in illo mundo, attonitus suspexi. ac vidi Numen meum quod in hæc verba affatus sum.

Civis mundanus, è media turba Entium existentium, ipse existens excedo omnia, meque infero mundis incognitis, certus, eos non esse mea figmenta, certus, me interesse eisdem, à quibus non discedo, si quando repeto necessitudines, quas contraxi in mundo existentium: Quæ est, ò Tu, qui præexistis omnibus, quæ est abyssus meæ naturæ? quæ abyssus tuæ? Vivens sub certa differentia temporis, numero momenta æternitatis. Circumscriptus loco exiguo, supergredior convexa Cœli. Ipse mihi ignotus, non impleor toto mundo à me cognito. Heu fatũ meæ naturæ, Si hi motus, si desideria hæc sunt à mea natura, Quis eam manuducat ad metam, ad quam inhiat? Quis impleat illam voraginem,

ginem, quæ absorbeat Cælum, si dehiscat; His dictis, cecidi pronus super terram, & adoravi: Oravi sine motu labiorum: accepi responsum sine auditu aurium; repositaque est spes bona in sinu meo.

SOLILOQVIVM VI.

REfocillasti Deus meus, Animam meam, pertæsam difficultatum itineris ad te. Alacritatem mentis concepi multam: En exilio tibi. Sed siste fugacem illam lucem, dum explorem penitiora mundi, visi nuper sub momento coruscationis fatiscentis in tenebras. Est Valeriane forum in Urbe, in quo lumina quædam prostant venalia. Horum quodvis, si adhibeatur menti, impertitur ejus oculo lumen, quod dabit morosè contemplari mundum, visum à te in instanti fugacissimæ coruscationis.

Quid dicitur tibi, Valeriane? quid audio? lumina mentium inter entia concreta? In Urbe? in Foro? Venalia? Nunquid sub ænigmate occulitur lumen promissum? O me stolidum! Quot sunt Athenæ in orbe? Forum est Academia: Mercatores sunt Magistri artium: lumina venalia sunt Artes, quarum vel una sufficiat illuminanæ menti caliganti. Ita est. Oraculum teneo: fidem illi faciam, exemplo præsentissimo.

Artem inquiro, secundùm quam fabricem v.g. corpus quo nullum aliud possit loco moveri facilius. Pars artis mechanica est obuia. Figura sphærica Torno inducatur corpori, quod movendum sit facillimè, & fit id, quod quæritur. At Ars ista servilis: Oraculum præcipit aliam, quæ sit liberalis, quam docent Magistri artium liberalium: ea enim lucet menti: hæc verò mechanica inducit manibus tornandi consuetudinem, & facilitatem. Artem ergo profero liberalem. Corpus sphæricum tangit in puncto superficiem, à quo puncto erigitur linea per centrum sphæræ, terminata ad pũctum supremum, ex diametro oppositum infimo. Pars illa sphæræ, quam hac linea occupat, premit directè ad centrum orbis terreni, figitque corpus sphæricum, ne loco moveatur. Reliquarum partium nulla est, quæ non premat ad idem centrum sed per puncta, distantia à puncto contactus. Verum libratæ à partibus oppositis, dùm singulæ aliò impellunt sphæram, necessariò sistunt illam erectam super puncto contactus. Est ergo sphæra libera exquisitissima, cujus partes quaquaversum æquiponderant: ita ut si uni partium adjungas vel unum granum ponderis, id premit partem illam, ac necessa-

riò totam sphæram loco movet à puncto contactus, quam sphæram si redigas sub figura cubi, non movebit pondus millecuplum ad granum præfatum. Est ergo sphæra duplex: una materialis hic & nunc existens: Altera intelligibilis. Nimirum, Universitas Entium existentium hic & nunc, est Mundus unus: Universitas Artium intelligibilium, instar quarum sunt, movent, & moventur Entia existentia, est mundus alter, quem sub illa coruscatione videram. Ita est. At at. Ergonè Mundi novi oriuntur mihi ab Orizonte mentis meæ? Fabulane exhibetur, exhilarata catastrophe tam eleganti? Haud mirum, si præstupore, dum novis intersum Mundis, memet ignorem, aut me ipsum non inveniam.

Quid rei gero intra meum caput, quod mundum hunc convolvat, cumque fastidiat, ausura perquirere novos? O Deus, quò evasura est illuminatio tua: inquisitio mea? Doctrina mea?

SOLILOQVIVM VII.

VAleriane! Cedo mihi manum tuam: Volo te manu ducere ad Proscenium, medium inter theatra utriusque Mundi; quatenus è fastigio ejus queas perspectare fabulam, siquam suspicaris exhiberi. Prospice, & edic, quid videas. Domine: Cerno mundum non visibilem oculo, sed intelligibilem mente, qui refert Artes cujusque Entis existentis in mundo materiali, instar quarum singula existentia sunt: non tamen intelligo Artes omnes, tametsi sciam, eas lucere ex mundo intelligibili.

O jucunda spectacula: Lætare anima mea, & mente lustra mundum utrumque. Videam regionem illam, ex qua micant æternæ figuræ corporum: volo revisere facilè mobilem: En illam. En quanto tenebrarum intervallo secernitur à phantasmate, referente corpus sphæricum. Id lucet equo, & mulo, quibus non est intellectus: Ars verò, quam imitantur corpora facilè mobilia, est à linea stante æquilibrium omnium partium corporis assignandi. Æquilibrium hoc non videt oculus, nec assequitur Imaginatio. At, proh Deum immortalem, Indoles Artium quàm est diversa ab indole existentium! Chaos medium inter mundos intelligibilem, & existentem quàm est impermeabile! Estne momentum in æternitate, in quo Ars corporis facillimè mobilis non fuerit intelligibilis, aut esse possit non intelligibilis?

Verè Mundus intelligibilis est ab æterno, in æternum, non factus, non mutandus, nec mutabilis. Quid entitatis, quid gratiæ, aut decoris

decoris placet ex mundo existentium, si id non sit instar Artium æternarum?

Me miseret indolis nostræ. En ut Entia concreta stant vultibus demissis. Singula de nihilo prodeunt ad existentiam, sub temporis differentia decreta unicuique singula relegantur ad locum, cuique determinatum. Me spectante en ut illa oriuntur & alia occidunt.

Artes verò æternùm lucent cum jucunditate supra locum, super tempus, & supra aleam vicissitudinis ullius. Heus vos homines, qui non estis, & potestis esse? O si ex illa æterna possibilitate essendi liceret vobis spectare sortem nostram, quanta invidia nos viventes maneret à vobis? Corrigo. Detestaremini ignaviam eorum, qui abusi Luce mentium, satagimus arbitrio esse id, quod bruta sunt sua natura: O probra, ô dedecora nostra.

SOLILOQVIVM VIII.

DEus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sunt qui recreantur secessis Urbano, aut rustico: Mihi arridet ille, qui est à mundo sensibili ad intelligibilem. Ibi, medius inter Artes, seu lumina æterna, non quæro solatium post negotia vitæ humanæ, sed vitam immortalem post tædium vitæ labentis. O luces vividæ; ô luces amabiles; Æternitatem non intellexi, nisi contemplatus vos lumina: vos Artes. O æternitas! Memini, Deus, cùm te mensurarem numero annorum infinito, in qua numeratione post frequentius addita millena millia millenis millibus annorum, fatigatus mirabar hanc inexhauribilitatem æternitatis, & ductis ab imo corde suspiriis, mihi postulabam abs te, Deus æterne, annos æternos vitæ jucundæ in te. At nunc me pudet chimæræ. O æternitas quàm clarè luces; quam blande; quam præcisè, quam in puncto! En anima mea (ad exemplum) Artem illam, in quam respiciunt, qui fabricant Horologia. Ea non est horologium: Est lumen intelligibile.

Scitare ab illa annum, quando cæpit lucere; annum, quando definet: tempora, in quibus variabit modum lucendi. Cernisnè ut Artes primo, eoque facillimo aspectu, æternizant?

Detorque mentem ad artificiatum sive humanum, sive naturale. Inspice Cœlum cerne astra, & distingue æternitatem, quam primo aspectu præ se ferant. Æternitas Artium est absoluta, & incommutabilis impossibilitas non essendi. Quid tibi videtur de Cœlo, quid,

quid de Astris? estnè æternaliter, & incommutabiliter impossibile, ea non esse, non fore?

Ignorem: Hoc scio, Cœlum, Astra, & cuncta artificiata non præ se ferre æternitatem ultroneam, qualem exhibent amica illa lumina mundi intelligibilis. Tibi ergo, ô Pater luminum æternorum, cantabo canticum æternitatis tuæ.

Non est ullus, cui illuxerit dies natalis tui, quia tui nullus est ortus.

Tu illa lux, quæ non vocata, occurrit inducenti nihilum omnium, vel in uno æternitatis momento.

Nihilum entium fugasti possibilitate eorum, quæ est radius fœcunditatis tuæ.

Signasti Domine reliqua quæ sunt, charactere durationis inchoatæ, quam ignorant: qui nesciunt æternitatem tuam.

Plaudo æternitati tuæ de angustia temporalitatis meæ. O Deus! fige cor meum, ut paululum stet, & paululum rapiat semper stantis æternitatis.

Tua æternitas est tui non essendi impossibilitas æterna & incommutabilis, & per se nota. Miserere de vertice incommutabilitatis tuæ Valeriano, labanti inter volumina temporum: miserere, indulge, esto propitius peccatori.

SOLILOQVIVM IX.

A Secessu meo redii ad consuetudinem negotiorum vitæ animalis, & extabefactus tædio inerti, Te Deum meum suspexi, qui sis allocutio tædii mei. Est enim pax, & gaudium illis, quos dignaris contubernio tuo. Sed memoria nugarum mearum me dejicit à conspectu faciei tuæ, nec possum ferre conscientiam meam, fugacem, vel rejectam à consuetudine allocutionis tuæ. Ipse mihi non placeo, vereorque faciem, & reprehensionem tuam.

Sed quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Mi plastes, imperfectum meum viderunt oculi tui: emitte (oro supplex) radium notæ benignioris, & sine, Te interpellari à Valeriano tuo. Excessi sphæram temporis infiniti, intra quam te cogitabam, viventem annos infinitos, & consulta vel unica facie Artis cujuslibet, vidi æternitatem tuam veram, velut sphæram intelligibilem, quæ ambit, & intrat omnes durationes, simul existentem earum centrum, & circumferentiam.

Hæc

Hæc vidi, ac intellexi. At ego explico ſpatium ſine ullo termino intra quod concludo ipſum convexum ultimi Cœli, & audeo aut tibi aſſignare locum in hoc ſpatio, aut cogitare Te, omnia penetrantem, coextendi illi ſpatio infinito, velut tui ſocium in magnitudine, & immenſitate. Sunt umbræ: ſunt tenebræ: quas, ò Lux viva, tuo radio poſſum purgare, & non aliter. Velim ergo in lumine tuo videre lumen Ubiquitatis, & Immenſitatis tuæ.

Meum lucere, Valeriane, eſt meum eſſe: Id ſolum, ut eſt æternum, ſic eſt & immenſum.

Hoc lucere æternum, & immenſum tibi revelat, ac oſtendit Entia, quæ nec ſunt, nec eſſe poſſunt æterna, & immenſa. Cerne, ut ex mundo intelligibili lucet Ars horologii. Ars illa denotat horologium, quod nec eſt, nec eſſe poteſt æternum, & immenſum: at vero illud actiuum, ac intelligibile denotare horologium, eſt lucere æternum ſupra omnem locum. Ars horologii, quam intelligis increatam, & æternam, non oritur tibi ab ullo puncto Orizontis, aut ab ullo alio loco. Lucere illud; ſcilicet lumen æternum, & intelligibile, quod nuncupatur Ars horologii, non eſt longum, non latum, non profundum: Non eſt magnum, non paruum, non maximum, non minimum: Non eſt in loco, non extra locum: Ars horologii ſic eſt in Oriente, ut in Occidente: ſic eſt uſpiam, ut nuſquam: ſic ubique ut nullibi. Nomina, ſi potes locum, ex quo illa fulget tibi.

O Lumen mihi amicum! contriſtabar tenebris imaginati ſpatii infiniti; nunc, exhilaratus luce tua, emerſi de limo profundi, teque intueor formoſum ſupra tempus, ſupra locum.

O me beatum, ſi vitale lumen tuum me totum revocet à tenebris exterioribus. O Deus, quis fando revelet vitam ex conſortio tuæ lucis?

SOLILOQVIVM X.

QUid putas, ò anima mea, quid exiſtimas eſſe Deum tuum? Novi, quod ſit hoc omne, quod non eſt impoſſibile eſſe eminenter Entis Eſt æternus: Eſt incommutabilis: Eſt immenſus: Eſt factor omnium. At verò ignoro ſpeciem ejus. Vibro radium mentis in omnem partem immenſitatis, in omnia momenta æternitatis, ſicunde mihi fulgeat facies ejus nec tamen ulla occurrit. Succenſueritne mihi, ſi humilis poſtulavero ſui videndi poteſtatem? Haud puto gravatur, ſe interpellari à factura ſua. Vadam, &, captato ſecreto, effundam coram illo totam Animam meam.

Sisto me tibi, ô Deus altissime, nec possum effari, quam me cernam longè positum ab illa puritate cordis, quæ prærequiritur visuro faciem tuam. At expertus, novi virtutem radii tui, quem si dirigas in cor meum, mundabitur. Cor ergo mundum crea in me Deus, & spiritum rectum, innova in visceribus meis. Est enim mihi petitio una apud te, quam, immundus corde, non audeo exponere. Heu me infelicem, si nequeam videre faciem mei Creatoris: Te benefactorem, te Patrem, te factorem meum non cognoscam ex facie? Tu mihi lux: tu meum dulce vivere: tu Amor meus: tu pulchritudo infinita, etiamnum mihi occuleris, & vivo? Ah Pater adorande tremende, ne irascaris servo tuo, si prorumpo in petitionem temerariam. Si inveni gratiam coram te ostende, mihi faciem tuam. Oravi. Audiam quid loquatur in me Deus.

Dicitur mihi ad aurem, in secretiori parte cordis mei, Visionem Dei esse deificationem Animæ rationalis, quæ sit incomposibilis cum sordibus deordinatorum affectuum, quibus vitiatur mens mea: esse porro aliam visionem Dei, quæ non supponat, sed efficiat, Deo adiutore cordis munditiam: hanc mihi concedi, adhibito: Væ, si ea abutar. Lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum est divina Essentia, est ipsissima facies Dei, visa ab omni homine veniente in hunc mundum, nec tamen cognita, ut Deus.

Hæc lux est Ratio, nulli rationali ignota. Ratio est Deus meus, viuus, ac verus: Ratio, inquam, illa, quæ sese explicat in lumiua veritatum, & bonitatum sempiternalium, & incommutabilium, quibus nos illuminamur, & accendimur.

Quod actu sit æternaliter, & eminenter hoc omne quod non est imposibile esse; est, v.g. veritas, seu lux æterna, & incommutabilis: Est inquam, radius, mihi immissus à Ratione, quæ est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Quod, Si Deus est animus nobis, ut carmina dicunt, Is primùm nobis sit pura mente colendus: Est bonitas æterna, & incommutabilis, qua calet cor meum à Ratione, mihi connaturali, quæ est Deus meus, author totius naturæ.

Expergiscimini filii hominum, & advertite Creatorem vestrum vobis præsentissimum. Deus est Ratio. Ratio est Deus. Ratio est lux: Lux intellectui: vita voluntati. Lucet menti radiis, conspicuè æternis. Vivificat voluntatem bonitatibus, conspicuè æternis.

Ratio mulcet animum amantem bonitatis, impletque spe melioris vitæ. Ratio terret animum contumacem Rationi, & torquet timore

malo-

malorum æternorum. Ratio lucet inquirenti veritatem, ordinanti agibilia, exercenti fabrilia, actitanti qualiacunque. Ratio inter nos mortales est Iudex omnium dissidentium, ad quam provocant omnes boni: à qua appellare contendunt omnes mali. Ratio est vinculum omnis humanæ societatis, earum evidentius, quæ juramento firmantur, nimirum, veriti iram Numinis si adhibeatur ad deceptionem servamus fidem datam. Ratio est ille incommutabilis vigor mentium per quem Reges regnant, Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam. Ratio est mihi. (vtinam omnibus, ac singulis) intellectus æternus, incommutabilis; unus unicus, Ratio demum est Verbum Caro factum, plenum gratiæ & veritatis.

Soliloquia A. R. Patris Valeriani Magni Fratris Capuccini posse typis mandare censeo.

VENCESLAVUS WASOWICZ I.V.D. Archid. Posn. Varf. Canon. Iudex surrogatus m.p.

FINIS.



Errata.

Pag. Lin.	*Errata.*	*Correcta.*
1. 18.	perfectionem.	perfectiorem.
2. 25.	ratiocineo,	tatiocinio.
3. 11.	noriſſimis,	notiſſimis.
3. 28.	ocurent,	occurrent.
6. 7.	ſic.	ſit.
10. 35.	communi.	communis.
14. 4.	dlctum.	dictum.
18. 27.	profundam.	profundum.
20. 38.	gibilismotus	gibilis, motus.
21. 14.	nis. Ex iis	nis, ex iis.
22. 37.	animatverto.	animadverte.
25. 37.	tranſeuntes	per tranſeuntes.
28. 34.	Velum.	Verum.
28. 36.	evitentiſſimè	evidentiſſimè
29. 7.	Spheram.	Sphæram.
31. 19.	finitè	finitæ.
31. 22.	tur. Quod	tur, quod.
31. 23.	tranſeũter. ut	tranſeunter eſt.
31. 25.	trãſiens Non	tranſiens non.
31. 28.	ar. Exceſſiſſe	ar exceſſiſſe.
32. 35.	ſupoſitionem.	ſuppoſitionẽ.
34. 11.	ut proveniãt	ut proveniunt.
36. 37.	involvit	non involvit.
37. 14.	fictione	factione.
39. 15.	præducatq;	producatque
40. 18.	ſubbſtat.	ſubſiſtat.
40, 35.	demoſtatarum	demonſtratarũ.
41. 26.	Animadverte	Animadverto.
43. 4.	Præexiſtẽs, eſt	Præexiſtens eſt.
ib. 4.	Ens, ſe per	Ens ſe per.
44. 4.	entis deſit	enti deſit.
44. 24.	eſſendi, ſe	eſſendi ſe.
47. 1.	exponerem	expono rem.
48. 8.	opponitur, ſoli.	opponi tur ſoli.
48. 21.	perfecti	perfectæ.
49. 15.	verò	veri.
51. 19.	animadvartere	animadverte.
51 32.	ratio	radio.
64 26.	correſcat	coruſcat.
65. 10.	per eſt	per ſe eſt.
66. 17.	per ſil	per ſe ſit.
70. 6.	fiert	fieri.
70. 38.	partet	parte.
72. 13.	Eccleſiaſtice	Eccleſiaſticæ.
77. 1.	vacuat	vacuo.
80. 23.	Ad	At.
80. 38.	cum	con-
87. 9.	poſſibilitati	poſſibilitate.
88. 19.	moru	motu.
88. 31.	exhelationem	exhalationem
89. 23.	extroquere	extorquere.
90. 22.	exhibuit	exhibui.
98 4.	Pariis	Pariſiis.
99. 30.	repetis	repletis.
99. 35.	non	nona.
101. 20.	hydrargyrum	hydrargyro.
102. 2.	contantas	contentas.
ib. 2.	omnes	omnis.
ib. 5.	phaſes	baſes.
ib. 9.	mentis	Montis.
ib. 37.	faciſti	feciſti.
105. 21.	Semptembri	Septembri.
ib. 27.	Et	Eſt.
115. 21.	ſit	ſic.
118. 23.	intentiſſimũ.	intenſiſſimum.
121. 28.	percuntaberis.	percontabaris.
123. 36.	ullam	ullum.
124. 1.	ſtructorum	ſtructuram.
128. 18.	ædificnada	ædificanda.
129. 19.	Peripatititus.	Peripatiticus.
134. 11	æterne	æternæ.
139. 19.	[illegible]	[illegible]
139. 29.	tamenſi	tametſi.
141. 17.	illuminanæ	illuminandæ.

K

005603315